DE PAULO SILENTIARIO BYZANTINO NONNI SECTATORE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOANNES MERIAN-GENAST

BASILEENSIS

LIPSIAE

MDCCCLXXXIX

Aulae Vimariensis officina typographica.

PATRIS ET AVUNCULI

PIIS MANIBUS

S.

Aulae Vimariensis officina typographica.

PATRIS ET AVUNCULI

PIIS MANIBUS

S.

Vita.

Natus sum Basileae Ioannes Guilelmus Iulius Merian Epiphaniorum die anni h. s. bellicosi LXVI patre Aemilio, matre Aemilia de gente Genast. Fidei adscriptus sum evangelicae. Duos autem post annos pater longinquo morbo munus deponere coactus cum suis transgressus est Vimariam Thuringorum, in patriam matris. Ubi elementis litterarum imbutus puer novem annorum receptus sum in gymnasium Guilelmum-Ernestinum, cui tum praeerat Hermannus Rassow. Anno h. s. LXXXIV maturitatis testimonio Ludovico Weniger rectore instructus Tubingam me contuli, ubi quattuor per semestria frequentavi scholas virorum doctorum Geldneri, Alfredi de Gutschmid nuper nobis flebili morte erepti, Kuglerі, Pflugkii-Hartungii, Rohdii, Schwabii, Sieversii, Spittae. Seminarii a Rohdio moderati sodalis fui extraordinarius, ordinarius seminarii historici Gutschmidio praeside per tria semestria. Deinde transmigravi Monachium, ut per bis sex menses audirem lectiones Bernaysii, Brunnii, Druffelii, Schoellii, Woelfflini. Rudolfi Schoell benignitate mihi contigit, ut interessem sodalis per sex menses et seminario et societati, quibus ille praeerat. Sed interrupta sunt studia mea Monacensia morte carissimi avunculi, Guilelmi Genast, qui, postquam pater mihi puerulo septem annorum ereptus est, quasi alter pater singulari me amplexus est amore atque cura. Quo mortuo ne exstingueretur nomen Genastiorum, adfixi illud patrio nomini libentissime obsecutus et

mortui et totius familiae voluntati. Anno h. s. LXXXVII, ut finem imponerem studiis, Lipsiam profectus sum, cuius viri docti Brugmannus, Lipsius, Ribbeckius, Richterus, Wachsmuthius, Wundtius, Zarnckius me collegiis docuerunt. Etiam quanto commodo mihi fuerint instituti philologi, quod vocant, egregia adiumenta, libenter confiteor. Societatibus Ribbeckii tria semestria, Wachsmuthii duo, seminario paedagogico Ricardi Richter per sex menses interfui, atque ne nunc quidem, ut recederem ex praestantissimis his palaestris, a me impetravi.

Omnibus autem optime de me meritis viris doctis, praeter ceteros Erwino Rohde, qui tironis prima exercitia moderari non veritus est, et Rudolfo Schoell, qui maxima cum comitate studia mea fovit, et Ottoni Ribbeck atque Curtio Wachsmuth, qui numquam mihi defuere, me, quoad vivo, gratias habiturum esse quam maximas magis re, si licet, probabo, quam pluribus verbis nunc adfirmabo.

Godofredus Hermannus postquam in libro de Orphicis composito primus historiam versus heroici enarravit, mox accuratius disseruerunt viri docti de Nonni arte metrica profecto tam mira, ut permagnam materiem talibus observationibus subministret. Qua de cognoscenda optime meriti sunt Lehrsius, Volkmannus, Tiedkius alii. Etiam de singulari sermone poetae Panopolitani nonnullae editae sunt dissertatiunculae velut ab Assmusio, Riglero, Ludwichio. De fontibus autem, quibus Nonnus fabularum hortulos irrigaret, egregie egit Reinholdus Koehler dissertatione *Über die Dionysiaca des Nonnus von Panopolis (Halle 1853)* inscripta, quae lectu dignissima est.

Verum desideramus adhuc commentationem, quae totum Nonnum poetam accuratius nobis sub adspectum subiecerit. Sed si iam patrem adeo neglectum viderimus, filiorum sortem esse meliorem, quis est, qui exspectet? Itaque etiam Nonnianorum, qui dicuntur, ingenia raro uberius descripta sunt, veluti Triphiodori a Wernickio aut Christodori a Baumgarteno.

Quam ob rem haud alienum videbatur de uno ex imitatoribus Nonni extremis, qui Byzantinorum temporibus vixit, de Paulo Silentiario copiosius exponere. Nam quamquam viri docti, cum Nonni artem metricam observarent, alius alio loco de Paulo quoque obiter atque in transcursu egerunt, quomodo magistri leges secutus esset, tamen nemo adhuc, quanta esset inter Nonnum et Paulum et in arte metrica et in sermone poetico necessitudo, accurate descripsit, aut diligentius quaerendo de poematis a Paulo traditis, de magnae ecclesiae descriptione et Anthologiae Palatinae epigrammatis, imaginem huius poetae quam maxime perfectam exprimere conatus est.

Pars I.

De Pauli Silentiarii vita.

Priusquam ad ipsa Pauli carmina accedam, quae de poetae vita enucleari possint, quamvis pauca proferam; quem vixisse sub Iustiniano imperatore cum ex duobus veterum testimoniis tum ex ipsius poetae carminibus satis perspicitur.

Proficiscendum autem est a Pauli poematis, atque primum quidem exponemus, quo tempore ortum sit maius illud carmen continuis hexametris de magna Byzantii ecclesia, Hagia Sophia, scriptum. Quod praeclarissimum templum ab omnium aetatum viris doctis, sive ei Constantinopolis aedificia in historiis leviter tantum perstringentes commemoravere sive ea monographiis accuratius descripsere, summis semper laudibus extollebatur. Nec mirum, nam non solum insigni maiestate et praestantia sed etiam fortunae vicissitudinibus ecclesia illa omnium advertebat animos, neque enim raro aut naturae aut immanium hominum seditionibus maxima in pericula vocabatur[1]), velut eodem Iustiniano imperatore bis diruta ac restituta est. Primum enim postquam anno p. Chr. n. 532 Prasinorum factio, quae contra imperatorem rebellaverat[2]), ignibus subiectis maximam ecclesiae partem delevit, Iustinianus denuo eam exstruxit, ut quinque post annos (a. 537) consecraretur[3]).

Sed non ita multo post, a. XXXII imperii Iustinianei, cum paulo ante ecclesia ingentibus terrae motibus a Theophane (p. 231, 11 sqq.) disertis verbis descriptis vehementissime labefactata esset, maximi tholi pars, quae ad orientem spectat, ad terram proiecta est, qua ruina et altaria

---

[1]) De huius aedis historia cf. egregiam Du Cangii dissertationem, quae etiam in Pauli editione ab Imm. Bekkero in Bonnensi corpore scriptorum Byzantinorum curata legitur.

[2]) Hac de seditione, quae dicebatur *Νίκα*, complures scriptores historiae Byzantinae narravere; praeter ceteros Theophanes in chronographia, cuius locos laudabo Boorii editionem secutus (Lipsiae 1883).

[3]) videas Theophanis narrationem p. 217, 16 sqq.

et alia aedis loca sancta deleta sunt[1]). Quam calamitatem permagnam a Paulo nostro in descriptione his versibus narratam legimus (I 66 sq.):

μίης ἁψῖδος ἀπωλίσθησε κεραίη
ἀντολικὴ, σφαίρης τε λάχος κονίῃσιν ἐμίχθη.

Ecclesia autem cum denuo multo maiore cum splendore atque altitudine restituta esset, iterum consecrata est quattuor annis post illam ruinam. Traditur enim et a Theophane (p. 238, 18) et in Chronico Paschali (p. 687, 12) a. XXXVI Iustiniani imperatoris secunda celebrata esse encaenia, quibus Eutychius patriarches praefuisset. Quibus cum testimoniis omnino congruunt Pauli versus I 34 sqq. et I 196 sq., nam poetica oratione cum idem annus tum dies ipse sic exprimitur (I 34 sqq.):

Ἀνέρες, οἷσι μέμηλε θεουδέα θεσμὰ γεραίρειν,
δεῦρό μοι, ἀχλυόεσσαν ἀποῤῥίψαντες ἀνίην,
χιονέους ἕσσασθε γεγηθότες ἄψεσι πέπλους.
δάκρυ δὲ πενταέτηρον ἀποψήσαντες ὀπωπῆς,
μέλψομεν εὐφήμοις ὑπὸ χείλεσιν εὔποδας ὕμνους.

Itaque Paulo quoque teste inter ruinam et encaenia secunda quattuor annorum spatium intercessisse constat, nam verbis *δάκρυ πενταέτηρον* lacrimae per quattuor annos fusae esse dicuntur. Diem autem XXIV. decembris versibus I 196 sq. ita declaravit poeta:

ἔπρεπεν ἑξείης μετὰ θέσκελον ἦμαρ ἐκεῖνο
ζωοτόκου Χριστοῖο γενέθλιον ἦμαρ ἱκέσθαι.

In vestigio igitur secutus est encaenia Christi dies natalis (XXV. dec.).

Itaque ex ipsa descriptione intellegitur Paulum post annum 563, quo celebrabantur secunda encaenia, scripsisse.

Cui termino alterum addere possumus, si multos eos locos animadvertimus, quibus poeta imperatorem ita ad-

[1]) cf. Theoph. p. 232, 26 sqq. Minus accurate Agathias hist. V 9 p. 295 ed. Bonn. (cf. Dindorf. hist. gr. min. vol. II 361) sub a. 557 (Iustiniani XXXI) et ruinam et restitutionem alteram ecclesiae narravit; scripsit enim hoc loco Agathias historiam aedis inde ab incendiis. — De his rebus etiam Kortuemius egit in praefatione dissertationis Salzenbergii operi splendido adiectae, quod inscribitur *Altchristliche Baudenkmale von Constantinopel (Berlin 1854)* cf. p. 2 et p. X.

loquitur, ut eum vivere statim appareat; sicut in priore prooemio iambico, quod primo antecedit libro, aut in fine secundi libri aut exeunte ambonis descriptione [1]). Nimirum ipsa nomina numquam inveniuntur nec imperatoris, qui semper *σκηπτοῦχος*, *βασιλεύς*, *ἄναξ* etc. appellatur, nec Theodorae imperatricis, quam mortuam in vv. 58—65 primae praefationis iambicae Paulus laudibus cumulavit, nec Eutychii patriarchae, qui et ipse compluribus huius carminis locis commemoratur et praecipue in libro II 561 sqq. praedicatur. Nam virum illum, quem hoc loco voce *πατήρ*, I 211 *ἀρητήρ*, ut haec exempla proponam, nominari videmus, Eutychium esse cum Theophanis testimonio, tum alterius praefationis iambicae hac superscriptione demonstratur: *ἐλέχθη τὰ λοιπὰ ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ ἐπὶ Εὐτυχίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου.*

Sed etiamsi haec testimonia ex descriptione Pauli hausta nobis non in promptu essent, tamen iam satis clare aetatem poetae cognosceremus examinatis ceteris carminibus, quae sub Pauli Silentiarii nomine in Anthologia Palatina tradita sunt. Quibus de epigrammatis, quia eorum auxilio Pauli tempora certioribus aliquantulo finibus circumscribuntur, nunc disserendum est.

Discimus enim his poematis Paulum intima amicitia coniunctum fuisse cum praeclarissimo illo Byzantino scriptore historico et poeta, A g a t h i a S c h o l a s t i c o. Qui vir carmine A. P. V 292, quod ad Paulum missum esse ex hoc lemmate patet *Ἀγαθίου Σχολαστικοῦ πέραν τῆς πόλεως διάγοντος διὰ τὰ λύσιμα τῶν νόμων* [2]) *ὑπομνηστικὸν πεμφθὲν πρὸς Παῦλον Σιλεντιάριον*, queritur, quod procul se esse ab amicis oporteat. Quamquam amoenissima in regione versetur, tamen maximo se vexari desiderio et amici et puellae. Ad haec respondet Paulus A. P. proximo poemate V 293 (Lemma: *ἀντίγραφον ἐπὶ τῇ αὐτῇ ὑποθέσει πρὸς τὸν φίλον Ἀγαθίαν*). Si legum cura arceatur, amicum non vero amore

[1]) Hanc enim continet tertia pars carminis Paulini.

[2]) Hoc loco de examine quodam iurisperitorum cogitandum esse mea quidem sententia recte vidit Niebuhrius (in ed. Bonn. p. XVI adn. 9) comparata voce *λύται*, qua adulescentes significari solebant, qui iam quattuor per annos legum studiis se dederant.

ardere concludit Paulus. Quid? Leandrum nonne trans mare natavisse?

σοὶ δέ, φίλος, παρέασι καὶ ὁλκάδες· ἀλλὰ θαμίζεις
μᾶλλον Ἀθηναίῃ, Κύπριν ἀπωσάμενος.

Quamvis minus dilucida, tamen altera necessitas quaedam interesse videtur inter Agath. V 299 et Paul. V 300. Quorum in priore epigrammate confitetur Agathias laudato proverbio μηδὲν ἄγαν se antea superbius se gessisse contra puellam, tunc autem, cum illa eadem sit superbia, supplicem eam, ut ignoscat, se orare atque obsecrare. Eadem de amatore quodam Paulus (V 300) narrat, in fine autem epigrammatis haec a puella petit (v. 7 sq.):

Πάρθενε θυμολέαινα, καὶ εἰ χόλον ἔνδικον αἶθες,
σβέσσον ἀγηνορίην· ἐγγὺς ἴδες Νέμεσιν.

Accedit ad cognoscendam amicitiam illorum scriptorum Byzantinorum Anthologiae epigramma VII 588, quo Paulus mortuo Damochari, grammatico et poetae, quasi sepulcralem inscriptionem composuit. Hunc Damocharin amicum et discipulum fuisse Agathiae, qui causidicus magna usus est auctoritate, ex lemmate et huius carminis (εἰς Δαμόχαριν τὸν γραμματικὸν τὸν Κῷον, τὸν φίλον καὶ μαθητὴν Ἀγαθίου) et ep. VII 206 satis elucet, quo mortem perdicis conqueritur Damocharis, sicut ipse Agathias VII 204. 205 (εἰς τὴν αὐτὴν πέρδικα, Δαμοχάριδος γραμματικοῦ καὶ μαθητοῦ αὐτοῦ sc. Ἀγαθίου). Quodsi ex his quoque verbis sinceris in discipulum Agathiae scriptis consuetudinem admodum familiarem Paulo fuisse cum Agathia concludam, haud errasse mihi videor. Et comprobatur haec opinio loco quodam historiarum Agathiae, quem statim in conspectum dabo.

Transgredimur enim nunc ad duo illa testimonia iam supra laudata, quorum prius nil novi nobis praebet. Suidas s. v. Ἀγαθίας Paulum nostrum Agathiae aequalem esse dicit hisce verbis: συνήκμασε δὲ (sc. Ἀγαθίας) Παύλῳ τῷ Σιλεντιαρίῳ καὶ Μακεδονίῳ τῷ ὑπάτῳ καὶ Τριβουνιανῷ ἐπὶ τῶν Ἰουστινιανοῦ χρόνων.

Multo maioris autem momenti locus ille Agathiae est, quo terminus constituatur, ante quem Paulum mortuum esse opus est. Agathias enim postquam in histor. V 9 magnam ecclesiam et post incendia et post terrae motus denuo

restitutam narravit, ipsam restitutionis descriptionem his verbis finivit (p. 296, 20 ed. Bonn.): *εἰ δέ τις ἐθέλοι πόῤῥω που τυχὸν τῆς πόλεως ἀπῳκισμένος ἔπειτα γιγνώσκειν σαφῶς ἅπαντα καθάπερ παρὼν καὶ θεώμενος, ἀναλεγέσθω τὰ Παύλῳ τοῖ Κύρου τοῦ Φλώρου ἐν ἑξαμέτροις πεπονημένα, ὃς δὴ τὰ πρῶτα τελῶν ἐν τοῖς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς ἐπιστάταις, γένους τε κοσμούμενος δόξῃ καὶ πλοῦτον ἄφθονον ἐκ προγόνων διαδεξάμενος, ὅμως παιδεία γε αὐτῷ καὶ λόγων ἄσκησις διεσπούδαστο· καὶ ἐπὶ τοῖσδε μᾶλλον ηὔχει καὶ ἐσεμνύνετο· καὶ τοίνυν πεποίηταί οἱ καὶ ἄλλα ὡς πλεῖστα ποιήματα μνήμης τε ἄξια καὶ ἐπαίνου, δοκεῖ δέ μοι τὰ ἐπὶ τῷ νεῷ εἰρημένα μείζονός τε πόνου καὶ ἐπιστήμης ἀνάπλεα καθεστάναι, ὅσῳ καὶ ἡ ὑπόθεσις θαυμασιωτέρα· κτλ.* Ex hoc Agathiae loco primum quidem aliquid de Pauli persona comperimus. Nam cum ex ipso maioris carminis titulo *Παύλου (ποιητοῦ) Σιλεντιαρίου τοῦ υἱοῦ Κύρου ἔκφρασις κτλ.* Paulum filium Cyri[1]) cuiusdam fuisse appareat, Agathias de nobilitate generis et de divitiis et de munere, quo Paulus in imperatoris aula functus sit, certiores nos facit.

Erat igitur Paulus primus silentiariorum — ita enim *οἱ ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς ἐπιστάται* latino sermone appellabantur — quem propter magistratum ei Silentiarii cognomen inditum est[2]). A principio horum magistratuum erat curare, ut praesente imperatore omnes linguis faverent, sed ex Malalae Chronogr. p. 434, 20 B edit. Bonn. et ex Procopii libro de bello Persico scripto I 243 ad maiora quoque officia eos vocatos esse intellegitur. Certe non dubium est, quin silentiarii, imprimis eorum praepositus, auctoritate quadam in palatio usi sint; dignitate senatores, patricios, praefectos provinciis aequabant; propter spectabilium clarissimorumque titulos secundo atque tertio dignitatum ordini adscripti sunt. Nec mirum, quod Paulo, qua erat nobilitate

---

[1]) Du Cangius in praefatione Cinammi editioni praemissa hunc Cyrum non diversum esse existimat a poeta illo, cuius perpauca epigrammata in Anth. Pal. conservata sunt, propter eam solam causam, quod utrique viro Cyri nomen erat. Huic autem coniecturae admodum audaci equidem non adsentior.

[2]) Videas de hoc munere, quae Kortuemius dicit l. l. p. IX. — cf. etiam Saxii Onom. II p. 50.

atque humanitate, tale munus mandatum est. Nam eruditione quoque eum praestitisse inter aequales Agathiae verbis *ὅμως παιδεία γε αὐτῷ καὶ λόγων ἄσκησις διεσπούδαστο* demonstratur. Quas laudes optima fide dictas esse nemo erit, qui neget. Quamquam a Niebuhrio haud dissentio, qui in commentatione de vita Agathiae eiusque historiis editioni Bonnensi adiecta docuit Agathiam potentiorum virorum favorem aucupatum esse eo, quod eorum carmina recepit in anthologiam, quam fecit collectis aequalium epigrammatis. „Ex his Paulum laudibus non immeritis extollit atque clientis officiis comiter colere videtur.“

Sed haec ipsa verba, ad quae Niebuhrius hoc loco respicit, a nobis modo laudata post mortem Pauli dicta esse constat; quod ut concludamus ex Agathiae laudibus, praeteritis *ηὔχει* et *ἐσεμνύνετο* adhibitis inducimur. Nec minus ex sententia de poematis Pauli prolata perspicuum est numerum carminum, quae Paulus scripsit, tunc iam esse absolutum. Itaque ex his Agathiae verbis aliquid certi adsumere possumus de Pauli morte; nam poetam defunctum esse oportet, antequam Agathias haec scripsit. Terminum autem, ante quem illum scripsisse necesse est, Niebuhrius, qua erat sagacitate, recte enucleasse mihi videtur. Mauricius enim, qui anno p. Chr. n. 582 imperium Byzantinum adeptus est, apud Agath. IV 29 p. 272, 3 semel magister equitum orientalium appellatur omnino non commemorata summa dignitate; qua ex re cognoscitur Agathiam ante hunc annum verba illa scripsisse. Porro scriptor Byzantinus etiam mortuus esse ante hunc annum Niebuhrio videtur, quia ex Menandri verbis haud ita aptis [1]) *ὡρμήθην ἐπὶ τήνδε ξυγγραφὴν ἄρξασθαι μετὰ τὴν ἀποβίωσιν Ἀγαθίου καὶ τῆς ἱστορίας ποιήσασθαι τὴν ἀρχήν* intellegi possit Agathiam morte prohibitum esse, ne historias suas ad finem perduceret. Pro certo autem scimus Paulum ante Agathiam e vita decessisse. Itaque ille fortasse etiam paulo ante amicum natus est, i. e. ante annum c. 536, quem terminum Niebuhrius in ed. Bonn. p. XIV ex coniectura Agathiae tribuit; sed ne multo maiorem natu poetam nostrum putemus, epigrammata V 299 et 300

---

[1]) Leguntur haec apud Suidam s. v. *Μένανδρος*.

supra laudata vetare videntur, quae mea quidem sententia ab aequalibus fere adulescentibus scripta sunt[1]).

Omnino non conturbatur opinio nostra Pauli epigrammate IX 658, quo de magno Byzantii praetorio a Iustino imperatore restituto agitur. Nam hoc imperatore atque Domnino, viro illorum temporum iuris peritissimo, nominatis nequaquam cogimur, ut hoc carmen etiam ortum esse sub Iustino existimemus. Quod si acciperemus, Paulum triginta fere annis ante Agathiam natum fuisse nobis putandum esset.

Aequalem igitur fere Paulum amico fuisse statuimus, quocum semper artissima amicitia et imprimis communi litterarum studio coniunctus esse videtur. Num inter eos quoque poeta noster numerandus sit, a quibus se incitatum esse ad scribendas historias ipse Agathias dicit in praef. p. 7, 19[2]), scire nequimus[3]).

De Pauli familia duorum epigrammatum lemmata notitiam exhibent, siquidem vera nobis tradunt; haec enim carmina VII 604 et IX 770 in filias Pauli scripta sunt. Priore quidem epigrammate lamentatur poeta de Macedoniae virginis morte praematura. cf. lemma *εἰς κόρην τινὰ Μακεδονίαν δωδεκέτιν τελευτήσασαν · ἦν δὲ θυγάτηρ τοῦ αὐτοῦ Παύλου ἡ Μακεδονία*[4]). In filiae poculum ep. IX 770 (*Χεῖλος Ἀνι-*

---

[1]) Lectitasse Agathiam Pauli ecphrasin per se intellegitur; sed etiam certa amici verba ei in mentem venisse puto in ea l. l. parte, qua quamvis carptim argumentum descriptionis addit. Animum adverte quaeso ad hunc Agathiae locum (p. 297, 9): *εὑρήσεις γὰρ ἂν* (sic) *ἐν αὐτοῖς* (sc. *τοῖς ἐπὶ τῷ νεῷ εἰρημένοις) — μεγέθη τε καὶ ὑψώματα καὶ ὅσα ἰθύγραμμα σχήματα καὶ ὅσα κυκλικὰ καὶ ὅσα ἐκκρεμῆ καὶ προτεταμένα.* Quibuscum comparanda sunt haec Pauli verba (I 237): *ἐς βάσιν εὐθύγραμμος ὕπερθε δὲ κύκλιος ἄντυξ.* vocem autem *ἐκκρεμής* frequentavit Paulus in descriptione cf. II 70 *ἐκκρεμέες λάϊγγες ἐτορνώσαντο πορείην* et 404. 409. 436.

[2]) *Πολλοὶ δέ με καὶ τῶν ἐπιτηδείων ἐπείγοντες καὶ ἐγκελευόμενοι ἐξηρέθισαν τὴν ὁρμὴν καὶ ἐπέῤῥωσαν, ἐν τοῖς Εὐτυχιανὸς ὁ νέος · ἀρχηγός τε ἦν τῆς παραινέσεως ἀνὴρ τὰ πρῶτα τελῶν ἐν τοῖς τῶν βασιλέων ὑπογραφεῦσι κτλ.*

[3]) Niebuhrium quidem non vituperabimus, qui hoc coniecit; sed omnino non probo Kortuemium, qui nulla interposita dubitatione Paulum ex amicis illis fuisse contendit.

[4]) In Anthol. Planud. superscripta sunt verba *ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ θυγατρί.* Brunckius *ἢ Μακεδονίου* scribi mavult „quia huius filiam hoc nomine

κήτεια [1]) *τὸ χρύσεον εἰς ἐμὲ τέγγει*) scriptum esse hoc lemma testatur: *εἰς ποτήριον οἰκείας θυγατρός παρθένου.* Sed nil nisi nomina hauriuntur his ex epigrammatis; nec plura de vita poetae Anthologiae carmina Paulina praebent, quorum argumenta, quae tota efficta sint vel, id quod praevalet, veterum poetarum Graecorum ingeniis debeantur, an quae ex sua ipsius vita prompserit poeta, discernere non possumus.

Haec de vita Pauli Silentiarii.

Pars II.

De Pauli Silentiarii poematis.

I.

Ac primum quidem mihi res erit cum Pauli Silentiarii epigrammatis, quae exstant in Anthologia Palatina; vel ideo, quod multo notiora sunt quam eiusdem poetae descriptio magnae ecclesiae. Longe plurima Pauli epigrammata in quinto Anthologiae libro invenimus, sunt igitur haec quidem erotici argumenti. Nec veritus est poeta nonnullis huius libri carminibus res sane lubricas vivis coloribus illustrare, quorum haec exempla adferre satis sit: V 252. 255. 275. 286. Itaque inde, quod hae res adeo placuerunt poetae nostro, illum ardore quodam animi praeditum fuisse patet, etiamsi omnes certe inter nos consentimus permulta et Pauli et omnium recentioris aevi poetarum epigrammata amatoria magis lucernam redolere quam ex vero poetae affectu emanasse. Hoc vel ex eo intellegitur, quod plurimae fere

---

vocatam fuisse verisimilius est. Praeterea hoc carmen, quod ceteroqui non invenustum est, nihil habet paterni affectus". Cui iudicio etiamsi fortasse sunt, qui adsentiantur, certe nemo, qui Byzantinorum noverit affectus, Paulum patrem esse inde negabit.

[1]) Huschkius in analect. crit. p. 272 causa non addita dubitat de nomine *Ἀνικήτεια,* fortasse quia priore in carmine Paulus Macedoniam filiam appellat; nonne permisit vir doctus Paulo duas habere filias?

sententiae, de quibus Paulus egit, iam ab elegiarum poetis graecis aut latinis tractatae sunt, quorum communes fontes poetas Alexandrinos fuisse nunc quidem inter omnes constare videtur. Qua de re nuper scripserunt Augustus Otto [1]) et Fridericus Mallet [2]), qui cum exponere studerent, quomodo Propertius se adplicavisset ad poetarum graecorum exempla, saepius de Byzantinorum epigrammatis disputaverunt. Ad Paulum quidem praecipue Malletus spectavit.

Iam mihi licitum sit hoc loco ea Pauli epigrammata in unum colligere, quibus ille priorum poetarum adseclam se praebuit aut toto argumento aut, quoad vidi, singulis tantum sententiis. Si autem neglexero, quae commemoratu digna sint, futurum esse spero, ut venia mihi detur. Paucis verbis argumenta singulorum carminum praemittam.

Sero poeta se amoris iugo subdidit. Paul. V 234. cf. Melagr. XII 23.

Ne quis timeat sagittas pennasve amoris, quia in ipso poeta eas perdidit deus. Paul. V 268. Admodum frequens est haec sententia apud elegiacos poetas. cf. Archiam V 58. Prop. III 3, 14 sqq. (Luc. Muell.). Nonnum D. 42, 96 alios, qui laudantur apud Malletum p. 18 adn. 1.

Quavis forma puella poetam inflammat. Paul. V 260. cf. ἀδέσπ. V 26. Tibull. IV 2, 9. Prop. II 1, 5. Ovid. a. a. II 295 sqq. — ad v. 7. videas Meleagri V 140, 4.

Obsecrat poeta puellam, ut sanet vulnus, quod ipsi intulerit, sicut Achilles saucium Telephum curaverit. Paul. V 291. cf. Prop. II 1, 63 sq. Ovid. rem. am. 43. Macedon. V 225; plura invenies apud Ottonem p. 21.

Non eget puella cultu. (cf. Mallet. p. 33 sqq.) Paul. V 270. cf. Prop. I 2. Anth. Lat. 897 (R.).

Cuius gratia poeta se colat nisi propter Rhodopen? Paul. V 228. cf. Tib. I 8, 9 sqq.

In paraclausithyrorum numero habendum est carmen VI 71, quod propter eroticum argumentum hoc loco ponere liceat. Dicit poeta de Anaxagora quodam, qui puellae coronarum, capillorum, poculorum reliquias, prioris amoris mne-

[1]) De fabulis Propertianis. Vratislav. 1880.

[2]) Quaestiones Propertianae. Gotting. 1882.

mosyna, dedicat. Nec opus est exempla huius generis congerere, contulit enim ea Malletus (p. 44 sq.); adde persimile Meleagri ep. V 191.

Conqueritur puella de poeta, qui dormientem deprehendit et violavit; sed hoc a solo Paulo narratur. Paul. V 275. cf. Prop. I 3. Cum vv. 5 sq. et 9 sq. comparandus est Ovid. Her. V 140.

Adhortatur poeta amicam, ut amore fruantur. Paul. V 252. cf. Tib. I 9, 56. Prop. III 7, 5. Agath. V 294. Marc. Argentar. V 128.

Describit poeta artissimos amantium complexus. (cf. Mall. p. 36 sq.) Paul. V 255. cf. eiusdem ep. 286. Prop. I 13, 15 sqq. (I 10. III 7).

Lucifer interrumpit amantium delicias. Paul. V 283. cf. Macedon. V 223[1]). Meleagr. 172. 173. Antipatr. Thess. 3. Prop. IV 20.

Ex oculis capillisque puellae suspicatur poeta eam se libidini dedisse. Paul. V 259 respexisse videtur ad Meleagr. V 175.

Amator puellae capillos scindit, colore sane usitatissimo. Paul. V 248. cf. Agath. V 218. Tib. I 10, 53. Ovid. a. a. III 570.

Maturioris puellae iucunditate adlicitur poeta Paul. V 258. cf. Agath. V 282. Philodem. 13. Rufin. 62.

Invidiosae anus custodia se turbari negat poeta. Paul. V 262. cf. Agath. V 289[2]). 294. Diotim. V 106. Similem sententiam Agath. 220 habet.

Exempla mythologica quantopere in deliciis fuerint omnibus poetis, qui amorem canebant, unusquisque ex Propertii elegiis satis cognoscit; nec desunt in Pauli epigrammatis amatoriis. cf. V 217: aurum omnia in amore valere Danaae

---

[1]) Haec epigrammata una eademque sententia finiuntur, quam proferre liceat:

Paul. 283, 5 *εἴ τις Ἐρώτων*	Mel. 223, 6
λάτρις, νύκτας ἔχειν ὤφελε Κιμμερίων.	*ἔρχεο δηθύνων ὡς παρὰ Κιμμερίοις.*

[2]) Tribus postremis carminibus Paulum et Agathiam inter se concinentes deprehendimus, quae addantur epigrammatis illis, quorum necessitudo manifesta est, ut supra exposuimus p. 4 sq.

exemplo comprobatur[1]). — 236: Tantali cruciatus minores sunt, quam quibus poeta amans torquetur. — 262: anus cum Argo custode comparatur. — 286: poeta catenas, quales Vulcanus Marti fabricavit, lubenter se passurum esse adfirmat. — 288: poeta corona a puella donata uritur, sicut olim Glauce[2]). — 293: A Leandro exemplum veri amoris petit poeta.

Aliae sententiae eroticae, quae in Pauli epigrammatis obviam nobis fiunt, tanta sunt apud omnes poetas elegiacos frequentia, ut certa exempla proponere valde supervacaneum esse arbitrer. Ut ceteras huiusmodi sententias missas faciam has in conspectu ponam. Oculorum culpa flagrat poeta amore. V 226[3]). — Frustra amator puellam fugere studuit. V 241. 254. 256, 5[4]). — Eius superbia magis magisque inflammatur. V 256. — Quocumque proficiscatur puella, se semper eam prosecuturum esse poeta iurat. V 301[5]) etc.

Restat, ut de paucis epigrammatis amatoriis Pauli disseram, quae nativam quandam speciem habere videntur. Quamquam hac in re difficile est iudicatu, et propterea, quod totius veterum poesis et elegiacae et epigrammaticae frustula tantum nobis conservata sunt, et quod iudici omnium talium carminum amplissima scientia sit oportet. Horum autem epigrammatum exempla apud veteres invenire non potui.

V 244: De trium puellarum osculis poeta iudicaturus est. Longe atque sonore Galatea osculatur, molliter Demo, Doris autem mordet. Ne aures iudices sint. Tribus demum osculorum generibus gustatis[6]) poeta sententiam se dicturum

---

[1]) Quam sententiam iam Iacobsius comparavit cum Horatii c. III, 16. Eadem eodem exemplo illustratur ab Antipatro Thess. V 31, a Parmenione 33. 34. cf. Antip. Thess. V 30 et Maced. 240.

[2]) Ipsam hanc comparationem ex vetustiore fonte haustam esse Philostrati epist. 38 [21 Hercher.] demonstratur, quam primus attulit Iacobsius (apud Brunck. tom. XI, p. 139), cuius adnotationibus ad Anthol. scriptis quam multum debeatur, semper grato animo confitemur.

[3]) Cf. epigramma latinum Pompeiis inventum et a Buechelero editum (Mus. Rh. XXXVIII, p. 474) et Prop. III 7, 12.

[4]) Cf. Philodem. ep. 24. Maecii 133. Tib. II 6, 13 sq.

[5]) Cf. Prop. III 22, 9. 28.

[6]) Persuasit mihi Ludwichius, qui in Mus. Rhen. XLI, p. 595 Reiskii coniecturam *τριχθαδίων* pro *τρηχαλέων* accepit. Nec minus adsentiar coniecturae *ἐφλέχθης* pro cod. *ἐπλάχθης* (v. 5).

esse promittit. Sed frustra, statim incenso animo in Demus osculis haeret neque quemquam se puellae erepturum esse adfirmat.

V 266: Sicut is, qui a furente cane morsus est, semper bestiae imaginem in aqua videre dicitur, ita fortasse amor poetae dentem infixit; nam in mari, in fluvio, quin etiam in vini poculo puellae effigiem adspicit.

Minus confidenter Paulum huius sententiae auctorem existimem. V 281: In amantem, dum puellae portam sertis ornat, aquam amica defudit; sed multo maiore amore ille inflammatus est per aquam, in qua ignis ex ore puellae haustus latebat. Hanc sententiam non propriam esse Pauli credimus non tam commoti exemplis a Malleto (p. 44 adn. 1) prolatis, quia in eis nihil dicitur de novo illo ardore aqua incenso, quam Anth. Lat. epigrammate 706 (R.) a Iacobsio laudato (ap. Brunck. tom. XI p. 145). Hoc carmine admodum copioso Iulia quaedam poetae nivem iniecisse dicitur, quae pectus eius ussit. Cf. v. 2: „nix tamen ignis erat", et v. 5 sq:

quis locus insidiis dabitur mihi tutus amoris,
frigore concreta si latet ignis aqua?

Quo carmine perducor, ut cautius de huius Pauli epigrammatis origine iudicem.

Iam venimus ad Pauli epigrammata in ceteris Anthologiae libris tradita, quorum in sexto inter epigrammata dedicatoria nonnulla Pauli carmina reperiuntur, quae et ipsa usitati argumenti sunt. Cf. VI 54: Eunomus Locrensis Apollini cicadam aere factam dedicat, quia in citharae certamine una chorda dirupta muscae opera, cum super citharam illa considens leniter caneret, victoriam reportavit. Eadem fabula aliquanto uberius narratur epigrammate incerto (584) libri IX. Maximis autem erat in deliciis praecipue recentiorum temporum poetis, ut videtur, id argumentum, quod Paulus tribus poematis (64. 65. 66) tractavit, ubi scriba quidam aut manibus aut oculis summa senectute fessis instrumenta sua vel Mercurio vel Musis consecrat. Eandem enim rem cum Philippus Thessal. sibi proposuit, qui prioribus fuit temporibus, tum Damocharis ille Agathiae discipulus (VI 63) et bis (67. 68) Iulianus Aegyptius, quem et ipsum esse

aequalem Pauli Iacobsius demonstravit in catalogo poetarum (tom. XIII, p. 906). — Arma a pugnatoribus Iovi aut Marti dedicantur, quod argumentum fuisse frequentissimum ex solis Mnasalcae carminibus perspicitur (VI 9. 125. 128 etc.); apud Paulum occurrit illud in epp. VI 81. 84. — Duo epigrammata a Paulo scripta sunt in ferarum pelles Pani dedicatas (57. 168); ep. 82 de tibiis eidem deo consecratis agitur.

Quod in epigrammatis sepulcralibus libri VII. carmen a Paulo in Homeri tumulum scriptum videmus (VII 4), ipso ex initio huius libri conspicuum est non solum in Homerum (epp. 1—7), sed etiam in alios poetas clarissimos, velut in Orpheum, in Sappho, in Alcmanem, alios, talia sepulcralia saepissime condita esse. Cetera huius libri carmina scripta sunt aut in mortem praematuram virginis cuiusdam (604), cf. Agath. VII 568, aut in pantominum (563), in Damocharin (588), in senem quendam (606), in Leontium amicum (560). In ep. VII 609 sepulcrum Attico, qui sibi ipse illud condidit, longam optat vitam, cui carmini persimile est VII 228 incerti poetae. Novam autem sepulcralium epigrammatum formam repperi in Pauli ep. 307. Mortui de se ipso narrationem vivus interrumpit, ut nihil esse obscuri hominis memoriam dedignabundus significet. Ipsa autem dialogi forma haud rara est in his epigrammatis; nam invenimus eam, ut his utar exemplis, in libri VII. epp. 163—165.

In eis carminibus, quae Anthologiae liber IX. conservavit (*ἐπιγράμματα ἐπιδεικτικά* eo continentur), sola fere ea argumenta usurpavit Paulus, quae aut ab antecedentibus aut ab aequalibus poetis tractata erant. Nam quae fabula in ep. 396 de turdo et merula refertur, iam antea narrata erat epigrammatis Antipatri Sid. (IX 76) et Archiae (IX 343). Creberrimum autem argumentum poeta sibi sumpsit in ep. IX 620, quod carmen in balneas seiunctas scriptum esse copiose ipsum lemma indicat (*εἰς λουτρὸν δίδυμον, ἐν ᾧ λούονται καὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες*). Talia epigrammata balnearia, ut ita dicam, leguntur in hoc Anthologiae libro inde ab ep. 606 usque ad ep. 640, quorum poetae, ut solos Pauli aequales nominem, Agathias, Macedonius, Damocharis, Leontius Schol. sunt. — Non minus lubenter poetae illi de Byzantii aedibus versus tornavere. Pauli duo huiusmodi car-

mina tradita sunt (651. 658). cf. Agath. 653. Praeterea horti ad mare siti praedicantur apud Paul. IX 663. 664. cf. Agath. 665. Arab. Schol. 667. Quin etiam conopei utilitate et Paulus (764. 765) et Agathias (766) inducti sunt, ut versus de eo funderent. Quae reliqua sunt poemata huius libri, in filiae poculum et in horologium scripta sunt; ep. 443 poeta monet, ne quis amoris furori se dedat; nam tales quoque sententiae in libro IX. expressae sunt.

Inter libri X. poemata exhortatoria (προτρεπτικά) Pauli quoque epigramma notissimi argumenti reperimus. In ep. 15 enim hortatur poeta ineunte vere nautas, ut trahant naves a litore, nam Priapum eis gratum esse. Haec sententia, quam unusquisque ex Horatii carmine praeclarissimo I 4 pernovit, in huius libri epigrammatis haud ita paucis usurpatur a Leonida Tarent., Antipatro Sid. aliisque, quorum carmina primum in libro X. locum obtinent. cf. Agath. X 14, ut hunc Pauli aequalem nominem. — In duobus reliquis carminibus Paulus neglectis divitiis ceterisque vitae curis et virtutem, quia una sit solida atque constans (ep. 74), et sapientiam, quam solam spem vitae existimet (ep. 76), adipiscendas commendat.

Rarissime autem artem suam convivalibus poematis exercere studuit; nam cum Agathiae et Macedonii amicorum dena fere eiusmodi epigrammata inter συμποτικά libri XI. conservata sint, a Paulo unum traditur poema (60), quo poeta paene eadem praecipit sodalibus atque antecedenti carmine Macedonius; incitantur enim amici, ut omisso quolibet cibo soli vino inserviant.

Restat, ut ea quoque Pauli epigrammata breviter percenseam, quae sola Anthologia Planudea exhibet, et quorum complura in imagines scripta sunt, sicut XVI 57 in bacchantis feminae statuam, quae Byzantii exstitit; furorem mulieris maxima cum arte expressum poeta laudat. Neque haec erat rara sententia, ut Simonidis ep. XVI 60, Agath. 59, incerti poetae 58 comprobatur. — epp. XVI 77. 78 [1])

[1]) Nam hoc quoque carmen, quamquam ut incertum traditur, tamen Pauli esse inde colligimus, quod eiusdem Theodoriadis pulchritudinem eodem modo praedicat. cf. etiam Pauli ep. 277.

simulacrum Theodoriadis cuiusdam pulchritudinem omnino non adaequasse poeta adfirmat. — Ad citharistarum autem imagines respiciunt Pauli epp. 277. 278. Easdem aut similes feminas Leont. Schol. XVI 285. 283. 284 cantavit. — Denique ep. 118 Paulus Cynegirum illum celebrat, qui Persarum navem manibus retinuit. Cf. Cornel. Longin. XVI 117.

Hi sunt flores, quos sibi decerpsit Paulus a sententiarum epigrammaticarum pratis; eos fere omnes insitos esse ab aliis priorum temporum imprimis Alexandrinorum poetis ex conspectu meo satis, opinor, apparet. Quid? Sola num hac causa commoti Paulum omni epigrammatici poetae laude quamvis mediocri utique indignum putabimus? Equidem non eo severitatis progrediar, quoniam mihi persuasum est omnes, quicunque studia ad poetas illos Byzantinos contulerunt, longe abesse, ut novas nativasque sententias ab eis postulent. Itaque existimantibus nobis interdum contigisse tali poetae, ut sententiae etsi antiquae vestem indueret haud invenustam, negandum est eum totum carere poetae laudibus. Et contigit hoc nonnumquam Paulo nostro ex mea quidem sententia. Quod argumentis sane demonstrari nequit, quia suum quisque hac de re habet iudicium; sed perlustratis nonnullis epigrammatis Pauli, velut V 250, quod prae ceteris mihi placuisse confiteor (cf. etiam 221. 228. 232 etc.), opinionem meam etiam ab aliis probatum iri valde spero. Sed ne quis dicat me ut patronum huius viri nimio eum decorasse honore, verum poetae ingenium ut ab omnibus poetis Byzantinis ita etiam a Paulo abiudicandum duco; quin etiam pudicitiam eum aliquot epigrammatis amatoriis magis neglexisse quam alios poetas epigrammaticos, cum res sane obscenas non sine gaudio describeret, haud ignoro. Verum et hoc ipsum recentioris aevi est. Iucunditatem autem quandam Paulo detrahi nec egomet velim nec ceteri voluere viri docti, qui, quo quisque loco de eo scripsit, Paulum illius aetatis poetam sane egregium dixerunt[1]); praeter Malletum, qui cum l. l. p. 54 sq. severiori iudicio de Pauli amatoriis facto hunc finem imponeret: „fere omnia a vitae veritate remota, omnia ita comparata sunt, ut om-

---

[1]) Cf. Bernhardyum, Gr. Litt. [3] II 2, p. 767, Iacobsium et alios.

nibus poetis amatoriis consentanea sint; nihil nativi, nihil novi, nihil proprii invenies, omnia accomodata ad veteriorum auctorum ingenium", omisit epigrammata supra commemorata, quae propria inventa exhibere videntur.

Sed iam satis de epigrammatis. Transeamus ad maius carmen illud de magna ecclesia Byzantina compositum, ex quo Paulum, quoniam sententias cogitationesque non deprompsit ex aliorum ingeniis, aliquid effecisse satis, ut arbitror, apparet. Legimus hoc carmen, cui inscribitur *Παύλου ποιητοῦ Σιλεντιαρίου υἱοῦ Κύρου ἔκφρασις εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἤτοι τὴν ἁγίαν σοφίαν*, in ipso codice Anthologiae Palatino, cuius in prima pagina incipit praefixis quattuor foliis innumeratis.

Ipsum genus descriptionum non inventum esse a scriptoribus Byzantinorum temporum sed iam a sophistis, qui sub imperatoribus Romanis viguere, et ab Hellenistis, quos vocamus, maximo studio cultum esse nemo est, qui nesciat[1]). Quin etiam usque ad epicae poesis initia huius generis vestigia persequimur, nam cum in Homeri tum in Hesiodi eiusque scholae carminibus tales occurrere descriptiones notum est. Verum inter omnes Byzantinis haec carminum argumenta maxime grata erant, nam quoniam illis temporibus longiora carmina antiquo more de rebus mythicis condita iam nec poetas nec legentes adliciebant, nulla alia materia melius artem rhetoricam et metricam exercere poterant poetae illi quam aut aedificiis aut aliis artis operibus maxima cum verborum copia describendis.

Ipsa Pauli descriptione excepta duo huiusmodi carmina relicta sunt, quorum poetae eidem saeculo adscribuntur; neque quam multa praeter illa temporum iniquitate perdita sint, pro comperto habemus. Sub Anastasio enim, ut breviter tangam duas illas ecphrases, Christodorus[2]) scripsit carmen, cuius 416 hexametri in secundo Anth. Pal. libro traditi sunt, de statuis Byzantii in gymnasio Zeuxippi positis (*ἔκφρασις τῶν ἀγαλμάτων εἰς τὸ δημόσιον γυμνάσιον*

---

[1]) Videas, quae de descriptionum genere Erw. Rohde praeclare explanavit. *Griech. Rom.* p. 335.

[2]) Cf. Baumgartenum *De Christodoro poeta Thebano (Bonnae 1881)* p. 6.

τοῦ ἐπικαλουμένου Ζευξίππου). Quo carmine non id egit poeta, ut statuas illas ante oculos poneret, sed laudatis virtutibus singulorum, quorum imagines videbantur, hominum artem suam praestare voluit. Neque melius Ioannes Gazaeus, cuius de temporibus certi nil dici potest, orbis terrarum chartam descripsit, quam poetae versibus adumbratam esse ipse poematis titulus, qui est *ἔκφρασις τοῦ κοσμικοῦ πίνακος*, profiteri videtur. Sed solas eas figuras in charta pictas, quae allegorice aut aevum, stellas, quattuor ventos aut mare, orbis terrarum partes, noctem, anni tempora repraesentant, nimia verborum copia, quae fere tota ex Nonni thesauro derivata est, molestissimoque tumore depinxit.

Pauli autem descriptio Hagiae Sophiae quod multo rarius quam epigrammata eius in virorum doctorum manus venit, hoc vel eo explicari mihi videtur, quod, cum haec Anthologiae lectoribus ultro offerantur, illius commoda editione etiamnunc caremus. Earum enim editionum, quibus solis uti licet, prima debetur Friderico Graefe, qui, ut de Nonni Dionysiacorum libris optime meritus est, ita etiam adseclae Nonniani carmen tractavit, quod una cum Ioannis Gazaei descriptione ex apographo Gothano recensuit (Lipsiae 1822). Postea Imm. Bekkerus in corpore scriptorum historiae Byzantinae (Bonnae 1837) magnae ecclesiae descriptionem et ambonis edidit, cuius in adparatu critico sane exili paucis locis lectiones codicis Palatini a Niebuhrio inspecti adiectae sunt. Sed non accuratiorem huic poemati quam ceteris Byzantinorum scriptis operam impendisse videtur vir doctus. Itaque nova profecto editione Pauli Silentiarii descriptio non minus digna est, quam Ioannis Gazaei carmen, quod nuper accepimus Eugenii Abel cura (Berolini 1882), qui sub textu Nonni quoque versus ab Ioanne imitatione expressos collegit, quamquam fortasse in hac re largior esse potuit. Praeterea carminis Paulini partes eas, quibus de ipso aedificio agitur, Kortuemius l. l. et transtulit metrice in vernaculum sermonem et commentatiunculis ornavit. Totum autem poema pedestri sermone vertit Ioann. Iac. Kreutzer (Lipsiae 1875), qui nonnullis locis non iniuria, ut equidem existimo, Kortuemii opiniones refutavit. Denique coniecturas non ita multas sed haud improbabiles

Fr. Spitznerus protulit libello admodum raro, quem inscripsit *observationes criticae maximam partem in Pauli Silentiarii descriptionem magnae ecclesiae (Erfurt. 1823).*

Compositum igitur est hoc Pauli carmen de magna illa ecclesia, cuius de restitutione quam bene meritus esset ipse Iustinianus imperator, in prima huius opusculi parte exposuimus. Quae propter merita haud mirabimur, quod eandem aedem Procopius quoque tractavit in libris, quos conscripsit de aedificiis a Iustiniano exstructis[1]), primo quidem totius operis capite. Quos quicumque quamvis obiter inspexerit, praecipue compositos esse ad augendam imperatoris gloriam, statim intelleget[2]). Itaque quia aequalis fere Pauli nostri Caesareensis ille fuit, necessitudines quasdam inter duas illas descriptiones exstare per se probabile videtur. De quibus, priusquam ad ipsum carminis Paulini argumentum enarrandum adgrediar, paulo accuratius sententiam meam proferre licebit. Nam quamquam de ipsa hac re iam recte iudicatum est a Kortuemio l. l. p. X, tamen etiam diligentius comparanda esse Procopii et Pauli verba equidem existimo. Primum igitur nobis quaerendum est, utra utri antecedat aetate descriptio.

Orsus Procopius ab incendiis illis, quibus ecclesia in seditione Prasinorum tota fere in cineres redacta est (cf. supra p. 2), cum duos architectos Anthemium et Isidorum, qui aedem denuo exstruxerant, tum imperatoris ipsius mentem eximiis ornat laudibus, quia viros tali munere tam idoneos delegerit. Tum ingentem templi altitudinem, unde sicut ex alta specula totam urbem adspicias, et aptam latitudinem longitudinemque, quae, qua sint proportione, optime quadrent ad totum aedificium, et columnas in ipsa aede positas et magnas illas quattuor pilas describit, quibus innixi quattuor arcus fundamenta praebeant summo tholo. Haec omnia a Procopio maximis laudibus efferuntur. Neque quemquam scire, quae prima contempletur aut quae ante cetera admiretur. Sic de pilarum structura, de ligamentis pilarum lapides coagmentantibus, de aureo camerae fulgore, de marmorum aemulo

---

[1]) *περὶ κτισμάτων βίβλ.* ς (edit. Bonn. vol. III).

[2]) Hoc ex ipsa Procopii praefatione (vol. III 170 sqq.) plane apparet.

nitore, de porticibus, de gemmis auroque a Iustiniano ecclesiae donatis legentes edocet, cum non desinat negare ullam descriptionem ipsarum rerum maiestatem adsecuturam esse [1]). Talis exaedificata est a Iustiniano aedes illa, *ἥνπερ μεγάλην καλεῖν νενομίκασιν*, non solum *χρήμασι* sed etiam *πονουμένῃ τῇ διανοίᾳ καὶ τῇ ἄλλῃ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ*. Quae virtutes quantae essent, etiam tum intellectum est, cum ecclesia pilis labefactatis maxima in pericula incurrit. Hoc modo Procopius progreditur ad enarranda illa pericula.

Nondum perfecto arcu, qui ad orientem spectavit, pilarum, quibus nitebantur quattuor arcus, duae labefactatae sunt, quia magnum onus ferre nequibant [2]). Quo facto cum omnia statim Iustiniano nuntiata essent, anxiis Anthemio et Isidoro dixit imperator [3]) conficiendam esse curvaturam arcus; illum enim se ipso fultum pilas non iam desideraturum esse. Quas non esse vanas blanditias testimoniis eorum, qui adfuerint, comprobari Procopius confirmat. Confecto autem arcu, quam rectum fuisset imperatoris consilium, artifices experti sunt. Verum paulo post eadem fere acciderunt, cum arcubus meridionali atque septentrionali, quidquid erat inferius *(τὰ ἔνερθε πάντα)*, adeo oneraretur, ut columnae caementum dimitterent. Iterum artifices, quomodo periculum averteretur, ignari ad imperatorem ilico se contulerunt atque iterum Iustinianus eos eximio consilio adiuvit. Imperavit enim, ut locorum, qui laborassent, partes superiores, quae ipsos attingerent arcus, statim e medio tollerentur neque prius restituerentur, quam omnia essent exsiccata. Quo auxilio postquam hi quoque arcus conservati sunt, totum aedificium firmum se praestitit.

Haec quidem enarravit Procopius. Cuius in descriptionis fine quod scriptor Byzantinus de periculis dixit, in quae ecclesia bis vocata esset, eum de orientalis tholi partis ruina, quam a Paulo narratam legimus (I 52 sqq.), cogitasse

1) Cf. Procop. l. l. 177, 19. 178, 20 sqq.

2) Cf. Procop. p. 180, 2 sqq: *οἱ δὲ πεσσοὶ — τῶν ἐγκειμένων σφίσιν οὐκ ἐνεγκόντες τὸ μέγεθος ἀμηγέπη ἐξαπιναίως ἀπορρηγνύμενοι οὐκ ἐς μακρὰν διαλυθησομένοις ἐῴκεσαν.*

3) *ὅτῳ μέν ποτε ἡγμένος οὐκ οἶδα, θεῷ δὲ οἶμαι — οὐ γάρ ἐστι μηχανικός·* — en adulatio vere Byzantina.

statim negabimus curiosius comparata utraque narratione. Procopius enim accidisse illas calamitates iam eis temporibus, quibus aedificium nondum finitum esset, diserte ac plane dicit; cf. quae de arcu commemorantur p. 180, 4. Deinde a Procopio audimus etiam duos alios arcus in eandem incidisse calamitatem, de quibus apud Paulum ne mentio quidem fit. Accedit, quod apud Procopium non legitur terrae motus causas periculi fuisse, qui etiamsi non expressis verbis a Paulo declarantur, tamen ex versibus I 55—58 satis intelleguntur. Neque enim egomet puto Paulum id tantum egisse, ut eis ruinam illam in maius extolleret; nam quamquam immoderationem narrandi tumoremque verborum, quae propria sunt poetarum Nonnianorum, neutiquam ignoro, tamen his verbis terrae motus describi contendo (I 52 sqq.):

ἤδη μὲν σθεναροῖσιν ἐπεμβεβαῶτα θεμείλοις
σφαίρης ἡμιτόμοιο κατήριπε θέσκελος ἄντυξ,
μυστιπόλου δ᾽ ἐτίναξεν ἐδέθλια πάντα μελάθρου,
πάντα δ᾽ ἐπεσκίρτησεν ἐν ἄστεϊ βάθρα θεμείλων·
γαῖα δ᾽ ὑπεστενάχιζεν ἐπὶ χρόνον, ἠερίαις δὲ
μισγομένη νεφέλῃσιν ὁμιχλήεσσα κονίη
οὐρανίης ἀμάρυγμα μεσημβρινὸν ἔσκεπεν αἴθρης.

Plane autem atque dilucide Theophanes (cf. supra p. 2) et Agathias V 9 de motibus illis ruinae causis referunt nec aliam in mente habent ruinam quam Paulus. Atque ne hoc quidem silentio praetereamus Anthemium iam non vixisse, cum restitutum est templum post ruinam, sed tum Isidorum solum praefuisse aedificationi. Hoc enim Agathias testatur l. l. p. 295, 19 [1]). Tum autem cum pilae labefactabantur, de quibus Procopius narrat, vixit Anthemius, ut ex his Procopii verbis patet: *οἱ μὲν οὖν ἀμφί τε τὸν Ἀνθέμιον καὶ Ἰσίδωρον* (p. 180, 8 ed. Bonn.).

Quae omnia si nobiscum computaverimus, neminem in dubium vocaturum esse spero, quin quae facta Procopius memoriae tradidit antecedant calamitati a Paulo descriptae.

Sed etiam scripsit Procopius ante illam orientalis tholi ruinam; nam argumentum ex silentio, etsi, quam lubricum

[1]) *Καίτοι Ἀνθέμιος μὲν ἐκ πλείστου ἐτεθνήκει, Ἰσίδωρος δὲ ὁ νέος καὶ οἱ ἄλλοι μηχανοποιοὶ κτλ.*

sit, non nescius sum, tamen hoc loco adhibendum esse arbitror. Neque enim concedere possum Procopium, cum primam calamitatem praecipue eo consilio narrasset, ut sapientiam imperatoris celebraret paene divinam, alteram omnino praetermisisse, praesertim cum restitutio tam splendida eam sequeretur, quam occasionem munificentiae Iustinianeae denuo praedicandae certe non omisisset adulator Byzantinus [1]). Itaque concludamus oportet nondum accidisse novam illam calamitatem, quo tempore haec primi libri pars a Procopio finita est. Unde sequitur, ut ante annum 558 (XXXII Iustiniani) Procopius hanc partem scripserit [2]). Ergo si demonstrari potest Procopium et Paulum in descriptionibus inter se concinere adeo, ut alterius narrationem ante oculos obversatam esse alteri credere cogamur, de solo Paulo imitatore cogitandum est. Et inveniuntur aliquot loci apud eum, qui ad Procopii descriptionem spectare videantur. Quorum quamquam nonnullos iam composuit Kortuemius (l. l. p. X), tamen, quia materiam non penitus exhausit, iterum eos hoc loco in unum conferam.

K.[3]) Procop. p. 174, 2 sqq.:	Paul. I 134 sqq.:
Ἀνθέμιος δὲ Τραλλιανὸς ἐπὶ σοφίᾳ τῇ καλουμένῃ μηχανικῇ λογιώτατος οὐ τῶν κατ᾽ αὐτὸν μόνον ἁπάντων ἀλλὰ καὶ τῶν	*ἐπευφήμησε δὲ τέχνην* (sc. *ὁ βασιλεύς*) *καὶ νόον Ἀνθεμίοιο κεκασμένον ἔμφρονι βουλῇ.*

[1]) Hanc causam brevissime iam Kortuemius protulit.

[2]) Sed etiam posteriores operis Procopiani partes ante Pauli descriptionem confectas esse satis manifestum est. In quinti enim libri cap. III. Procopius de ponte narrat, quem Iustinianus Sangario fluvio Asiae iniecerit; hunc nondum perfectum esse, cum Procopius scripsit, ex hisce ipsius verbis elucet (III p. 98 ed. Bonn.): *βασιλεὺς δὲ Ἰουστινιανὸς γέφυραν αὐτῷ ἐγκεχείρηκεν ἐποικοδομεῖσθαι τανῦν ἀρξάμενός τε τοῦ ἔργου ἤδη πολλὴν ἐς αὐτὸ διατριβὴν ἔχει · ὅπερ εὖ οἶδα, ὅτι ὑποτελέσει οὐ πολλῷ ὕστερον τεκμηριούμενος, ὅτι δὴ αὐτῷ τὰ ἔργα συνεπιλαμβάνεται ὁ θεὸς ἅπαντα.* Eundem autem pontem perfectum Paulus v. II 514 sqq. illustrat:

τὸν πρὶν ἀνικήτοισιν ἀγηνορέοντα ῥεέθροις,
Μύγδονα Σαγγάριόν τις ἰδὼν Βιθυνίδι γαίῃ
νῶτα λιθοτμήτοισι διαζωσθέντα γεφύραις κτλ.

cf. etiam Agath. ep. IX 641 (*εἰς γέφυραν τοῦ Σαγγαρίου*).

[3]) Hac littera eos locos insignivi, quos iam Kortuemius investigavit.

αὐτοῦ προγεγενημένων πολλῷ τῇ βασιλέως ὑπουργεῖ σπουδῇ τοῖς τεκταινομένοις τὰ ἔργα ῥυθμίζων τῶν τε γενησομένων προδιασκευάζων ἰνδάλματα.

καὶ μηχανοποιὸς σὺν αὐτῷ ἕτερος Ἰσίδωρος ὄνομα, Μιλήσιος γένος, ἔμφρων τε ἄλλως καὶ πρέπων Ἰουστινιανῷ ὑπουργεῖν βασιλεῖ.

κεῖνος ἀνὴρ τὰ πρῶτα θεμείλια
πήξατο νηοῦ
εὐκαμάτων βουλῇσιν ὑποδρήσσων Βασιλήων.

II 136 sqq.:

Ἀνθέμιος πολυμήχανος, ὅς τε σὺν αὐτῷ
πάνσοφον Ἰσιόδωρος ἔχων νόον· ἀμφότεροι γὰρ
καλλιπόνων βουλῇσιν ὑποδρήσσοντες ἀνάκτων,
νηὸν ἐδωμήσαντο πελώριον.

De maiestate aedis.

K. Procop. p. 174, 14:

θέαμα οὖν ἡ ἐκκλησία κεκαλλιστευμένον γεγένηται, τοῖς μὲν ὁρῶσιν ὑπερφυές, τοῖς δὲ ἀκούουσι παντελῶς ἄπιστον.

Paul. II 31:

θάμβος ὅπῃ πανάπιστον ἰδεῖν, πανάπιστον ἀκοῦσαι.

Arcus, qui ad orientem et occidentem spectant, super vacuum aerem eminere dicit

Procop. p. 176, 12:

τῶν δὲ ἀψίδων αἱ μὲν δύο κατὰ κενοῦ τοῦ ἀέρος ἐπανεστήκασι πρὸς ἀνίσχοντά τε καὶ δύοντά που τὸν ἥλιον.

Paul. II 116 sq.:

Ἀλλ' ἐπὶ [τ' ἀντολίην] καὶ [ἐφ'] ἕσπερον οὔτι νοήσεις
ἀψίδων ὑπένερθεν· ὅλος δ' ἀναπέπταται[1]) ἀήρ.

Bini arcus, quo loco pilis innixi inter se contingunt, acutum faciunt angulum, ut spatio, quod interest inter duos arcus et superne tholi ora terminatur, figura triquetra efficiatur.

Procop. p. 176, 21:

τῶν ἀψίδων τῆς συμπλοκῆς ἐν τετραγώνῳ ἐξειργασμένης, ἐς τρίγωνα τέσσαρα μεταξὺ τὸ ἔργον ἀποτετέλεσται· καὶ ἡ μὲν

Paul. II 45 sqq.:

βάσιν δ' ἀτίνακτον ἑκάστη
(sc. ἄντυξ)
γείτοσιν ἀμφοτέρωθεν ὁμοῦ συνέμιξε κεραίαις,

---

[1]) Sic rectissime lacunam Graefius explevit.

τριγώνου ἑκάστου κρηπὶς πεπιεσμένη τῇ ἐς ἀλλήλας τῶν ἀψίδων ἐνέρσει ὀξεῖαν ποιεῖται τὴν κάτω γωνίαν, συναναβαίνουσα δὲ τὸ λοιπὸν εὐρυνομένη τῇ μεταξὺ χώρᾳ ἐς τὸ κυκλοτερὲς τελευτᾷ, ὃ ταύτῃ ἀνέχει, γωνίας δὲ λειπομένας ἐνταῦθα ποιεῖται.

ξυνοῦ πηγνυμένην ἐπὶ τέρμονος·
ὀρνυμένη δὲ
ἠερίαις κατὰ βαιὸν ἐυγνάμπτοισι κελεύθοις
τῆς πρὶν ὁμογνήτοιο διίσταται·
ἀλλὰ καὶ αὐτῶν
ἀψίδων τὸ μεταξὺ καλοῖς ἀναπίμπλαται ἔργοις.
ἔνθα γὰρ ἀλλήλων ἀπονεύμεναι ἤθεσι τέχνης
ἠέρα γυμνὸν ἔδειξαν, ἀνέσσυται ἶσα τριγώνῳ
τοῖχος ἐπικλινθείς, ὅσον αἴσιον, ἄχρι συνάψῃ
πήχεας ἀμφοτέρωθεν ὁμόζυγος ἄντυγι κύκλου.

De hominibus, qui templi pulchritudinem admirantur, dicit

Procop. p. 177, 8:

οὐ παρέχονται δὲ τοῖς θεωμένοις αὐτῶν τινι ἐμφιλοχωρεῖν ἐπὶ πολὺ τὴν ὄψιν, ἀλλὰ μεθέλκει τὸν ὀφθαλμὸν ἕκαστον καὶ μεταβιβάζει ῥᾷστα ἐφ' ἑαυτό. ἀγχίστροφός τε ἡ τῆς θέας μεταβολὴ ἐς ἀεὶ γίνεται.

Paul. I 153 hac similitudine usus:

πᾶς βροτὸς ἀγλαόμορφον ἐς οὐρανὸν ὄμμα τανύσσας
οὐκ ἐπὶ δὴν τέτληκεν ἀναγναμφθέντι τραχήλῳ
κύκλιον ἀστροχίτωνος ἰδεῖν λειμῶνα χορείης·
ἀλλὰ καὶ ἐς χλοάουσαν ἀπήγαγεν ὄμμα κολώνην,
καὶ ῥόον ἀνθεμόεντος ἰδεῖν ἐπόθησεν ἀναύρου.
κτλ. usque ad v. 165.

De ligamentis in pilarum structura adhibitis.

Procop. p. 178, 4:

nec τίτανος ἄσβεστος nec ἄσφαλτος, quo Semiramis Babyloniae regina usitabatur, sed plumbum adhibitum est: ἀλλὰ μόλυβος εἰς τέλμα χυθεὶς καὶ μεταξὺ πανταχόσε χωρήσας,

Paul. II 60 sqq.:

ἁρμονίαις δ' ἐνέηκε πλάκας μαλακοῖο μολύβδου,
ὄφρα κε μὴ λάϊγγες ἐπ' ἀλλήλῃσι δεθεῖσαι,
καὶ στυφελὰ στυφελοῖσιν ἐπ' ἄχθεσιν ἄχθεα θεῖσαι

τῶν τε λίθων τῇ ἁρμονίᾳ ἐντετηκὼς καὶ συνδέων ἀλλήλοις αὐτούς.

νῶτα διαθρύψωσι· μεσοδμήτῳ
δὲ μολύβδῳ
ἠρέμα πιληθεῖσα βάσις μαλθάσσετο πέτρον.

Homines templum admirantes omnino non satiari possunt.

K. Procop. p. 179, 9:

καὶ τοῦτο οὐ τὴν πρώτην μόνον ἰδόντι ξυμβαίνει, ἀλλὰ διηνεκὲς ἑκάστῳ ταὐτὸ τοῦτο δοκεῖ ὥσπερ ἐνταῦθα τῆς ὄψεως ἀρχομένης. τούτου κόρον οὐδεὶς τοῦ θεάματος ἔλαβε πώποτε κτλ.

Paul. I 166:

πᾶς κόρος εὐπήληκος ἐλήλαται
ἔκτοθεν οἴκου.

Varios denique marmorum colores quasi praeteriens perstringit

Procop. p. 178, 23:

τίς δὲ τῶν τε κιόνων καὶ λίθων διαριθμήσαιτο τὴν εὐπρέπειαν οἷς τὸ ἱερὸν κεκαλλώπισται; λειμῶνί τις ἂν ἐντετυχηκέναι δόξειεν ὡραίῳ τὸ ἄνθος·

θαυμάσειε γὰρ εἰκότως τῶν μὲν τὸ ἁλουργὸν τῶν δὲ τὸ χλοάζον· καὶ οἷς τὸ φοινικοῦν ἐπανθεῖ καὶ ὧν τὸ λευκὸν ἀπαστράπτει, ἔτι μέντοι καὶ οὓς ταῖς ἐναντιωτάταις ποικίλλει χροιαῖς, ὥσπερ τις ζωγράφος ἡ φύσις.

Paulus *λειμών* vocem saepissime usurpatam a recentioribus poetis, ut recte Kortuemius commemorat, et ipse I 155:

κύκλιον ἀστροχίτωνος ἰδεῖν
λειμῶνα χορείης

et in amb. 227 adhibet.

Marmoris autem genera diversa eorumque colores lubentissime semper atque maxima cum verborum copia describit. cf. II 201 sqq. amb. 109 sqq.

Tot inveni locos diligenter comparata utraque descriptione, quibus ita inter se congruere mihi videntur Paulus et Procopius, ut illum Caesareensis descriptionem non solum noscitasse sed etiam hic illic imitatum esse apud me quidem in confesso sit.

Sed iam transgrediendum est ad ipsum poematis Paulini argumentum, ex quo quamvis haud ita copiose narrato carmen illud non sine arte compositum esse apparebit.

Singulas partes carminis, quod in codice Palatino in tres libros dividitur, recitatas esse in conventu admodum nobili[1]), cum ex eo intellegimus, quod saepenumero poeta aut ipsum imperatorem adloquitur aut patriarcham, tum eis verbis demonstratur, quae alteri primi libri prooemio iambico antecedunt: *διῃρέθη ἡ ἀκρόασις*[2]). *ἀκρόασις* enim verbo recitatio significatur.

Duo igitur prooemia iambica primo descriptionis libro praemissa sunt, quorum priore imperator Iustinianus supra modum — nimirum hoc ipsum Byzantinorum est — omni laude cumulatur deusque, ut servet eum a periculis, oratur; Theodorae quoque imperatrici quamvis mortuae aliquantulum laudis impertitur. Altera in praefatione Paulus, cum a patriarcha petiverit, ut benigne carmen audiat, usus ea forma, quam captationem benevolentiae vocare solemus, se haud ignorare solis verbis neque aliam ullam rem a deo gestam nec tale summi dei aedificium describi posse simpliciter confitetur. Huius secundae praefationis superscriptione haec dicuntur: *Τούτων λεχθέντων ἐν τῷ παλατίῳ διῃρέθη ἡ ἀκρόασις καὶ ἐλέχθη τὰ λοιπὰ ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ ἐπὶ Εὐτυχίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου προλεχθέντων τῶν ὑποκειμένων ἰάμβων.* Loco igitur mutato ipse liber primus recitatur. Secundum quoque librum spatio quodam intermisso recitatum esse ex hac superscriptione patet, quae, lacunosa ut est, sic recte a Graefio expletur: *διαιρεθείσης πάλιν τῆς ἀκροάσεως, προελέχθησαν οἱ ὑποκείμενοι.* Ambonis autem descriptio seorsum recitata est, ut titulus edocet: *λεχθεῖσα ἰδιαζόντως μετὰ τὴν πρώτην πάροδον τὴν μεγάλην ἐν τῷ πατριαρχείῳ.*

Illam, quam vidimus, loci mutationem non revera factam sed a poeta, ut carmini suo aliquid scaenicae poesis adspergeret, effictam esse Kortuemius opinatur (l. l. in adn. I). Sed praetermissa hac quaestione primum, quibus temporibus singulae carminis partes recitatae sint, disputemus.

Proficiscimur a tertia parte poematis, ab ambonis descriptione, quam seiunctam a duobus antecedentibus libris poeta recitavit; id quod ex ipsis quoque iambis huic parti

[1]) Cf. primi libri alteram praefationem (vv. 46 sqq.).

[2]) Cf. etiam verbum *ἀντιφθέγξομαι.* praef. II 52.

praemissis cognosceremus, etiamsi deesset superscriptio. Putasne enim scriptorem denuo compluribus versibus audientes salutasse et sanctitatem materiae excusasse, quod rursus eos ad recitationem invitaret, nisi spatium quoddam non parvum inter hoc carmen antecedentesque libros interfuisset? Atque hoc ipso temporis spatio perfectam esse ipsius ambonis exaedificationem fortasse iure concludemus ex horum iamborum initio [1]). Praefationis autem in v. 11 sqq. dicit poeta haec:

τρὶς γὰρ ἤδη συγκαλῶν
καὶ τῶν συνήθων ἐξαναστήσας πόνων
οὔπω σκυθρωπὸν εἶδον ὑμῶν οὐδένα.

Bis igitur iam convocaverat Paulus nobilissimos auditores — hoc sequitur ex voce *τρὶς* — atque necessarium est putare priorem recitationem primum ecclesiae descriptionis librum, posteriorem complexam esse secundum. Itaque spatium temporis intererat inter duos illos libros, quod utrum diebus an horis dumtaxat effectum sit, scire non possumus, neque quidquam nostra interest, ut cognoscamus. Sed quis est, qui credat hoc intervallum a poeta esse positum eo loco, quo ex codicis testimonio positum esse videmus, scilicet post versum 277 libri I., postquam vixdum poeta inde a v. 221 ipsum templum describere coepit? Tantae inscitiae Paulum — licet eum maxime alienum existimes a veterum poetarum arte disponendi — equidem non arguam. Itaque ex librarii errore alterius libri superscriptionem et praefationem sex iamborum hoc loco interpositas esse puto, quae post libri I. versum 220 locum tenebant. Nam usque ad hunc versum et, quae res ante secunda encaenia gestae sunt, et ea ipsa narrantur; deinde a versu 221 aedis descriptio incipitur, cum primum poeta orientalem eius partem depingat. Sic Paulum materiam disposuisse neque ecclesiae descriptionem vixdum incohatam statim novis iambis, quibus alter liber

---

[1]) Cf. v. 1 sqq.: *Ἔχεις ἅπασαν, ὦ βασιλεῦ, τὴν ἐλπίδα*
προσθεὶς τὸ λεῖπον τῷ νεῷ τῷ παγκάλῳ.
Οὐκοῦν, ἄριστοι, προσφόρως καὶ νῦν ἐγώ
ἥκω τὸ λεῖπον προστιθεὶς τῷ βιβλίῳ·
καλὸν γὰρ ἂν εἴη τοὺς λόγους τῷ δεσπότῃ
συνδημιουργεῖν τὸν νεὼν τὸν τοῦ λόγου.

instituitur, stulto sane modo interrupisse arbitror[1]). Sed utrum re vera auditores ex imperatoris palatio in patriarchae domum migraverint, an Paulus poetarum licentia usus hoc finxerit, ut vegetiorem redderet carminis tenorem, hac in re discernenda equidem operam non perdam.

In primo igitur libro de calamitate aedis supra narrata et de encaeniis secundis Paulus dicit. Initio autem carminis servatis modis prioris praefationis iterum Iustinianum omnibus laudibus ornat, qui aedificium illud inter cetera excellens exstruxerit (1—10). Byzantium (*ὄμπνια Ῥώμη*) huiusque matrem Romam (*Λατινιὰς Ῥώμη*), quae filiam maiorem esse adgnoscit, adhortatur poeta (11—33), ut imperatorem celebrent, nec minus omnes incitat, quibuscunque antea tholus collapsus summo dolori fuerit. Subridentes sine dubio legetis, qua cum anxietate Paulus calamitatem illam commemoraverit quasi veritus, ne his rebus adversis memoria haud iucunda renovatis imperatori displiceret. (cf. vv. 43—51. 71—73). Deinde cum breviter ruinam illam descripserit, narrat poeta restitutionem arte quadam poeta scaenico haud indigna; ipsum enim Byzantium, quod mulieris forma praeditum imperatori se offert, loquens facit. Supplex mulier Iustinianum orat atque obsecrat, ut restituatur ecclesia; et ille quidem eam sublevans maerorem omnem ex pectore eici iubet, nam restituendo templo etiam magis conspicuam se eam facturum esse promittit. Et statim exsequitur promissa. Extemplo non exspectatis comitibus, qui semper imperatorem prosequi solent, sine regiis insignibus ad aedem contendit. Paullatim immensa hominum multitudo undique confluit, Iustinianum clamore salutant. Qui cum collapsam templi partem adspexerit, architectos valde laudat, quod eorum singulari diligentia, ne maior pars corrueret, prohibitum sit. Deinde poeta postquam rhetorice, ut solet, restitutionem ecclesiae prudentiamque Iustiniani a quoquam satis celebrari posse negavit, cum adfirmaverit, quanta admiratione omnes adficiantur, qui inte-

---

[1]) Quamquam in codice Palatino quidquam inveniri, quo stabiliatur coniectura illa, negat Stadtmuellerus, vir huius codicis peritissimus, cui propter eximiam benignitatem, qua permotus de compluribus me docuit codicis lectionibus, hoc quoque loco gratias ago quam maxumas.

riores aedis partes contemplentur, denuo laudato imperatore ad describenda encaenia transit (178—216); vv. 204—216 autem praeclare depingit multitudinem hominum, qui ad ecclesiam corruunt. Tum verbis admodum rhetoricis sacerdotes, ut aperiant templi portas, incitat. Atque hoc quidem loco primum librum finitum esse putamus.

Nunc ipsa incipitur descriptio interioris templi ac primum partis orientalis, ubi altaria sedesque sacerdotum stant, et magnae orientalis conchae, quae vocatur. Paene par est orientali huic parti occidentalis, cuius descriptio secundi codicis libri initium facit. Describuntur porticus illa, quae narthex dicitur, medium templum, super quod tholus eminet, quattuor pilae, arcus etc. Dolenda autem est in ipsius tholi descriptione lacuna (81—93). Tum secuntur partes septentrionales et meridionales, ubi mulierum sedes videntur, pronai occidentales, magnum vestibuli labrum (φιάλη); copiosius autem describuntur varia marmoris genera (201—230), deinde opera vermiculata, cancelli, quibus sacra pars orientalis a medio templo secernitur, Iesu Christi, angelorum, apostolorum, Mariae imaginibus ornati, sacrarium intimum, altaria ipsa tegumentis celata, quibus Christi atque Pauli Petrique simulacra et domini miracula intexta sunt (370—385). Plurimis verbis nocturna ecclesiae lumina praedicat (390—504), quorum mirabilem sane fulgorem nemo describere possit. Atque finitur liber secundus nova laudatione imperatoris, cuius clementiam ante ceteras virtutes admiratur Paulus, nam propter illam semper ei summus deus domi militiaeque praesidio est (505—550. cf. etiam libri I. praef. I. v. 6 sqq.). Has autem laudes flectit poeta v. 551 ab imperatore ad patriarcham eadem usus cautione ridicula, quam supra observavimus: revera etiam patriarchae laudes ad imperatorem spectare, qui virum tam praeclarum creaverit sacerdotem. Denique exeunte carmine patriarcham longa vita augeri cupit Paulus, quae et imperatori et urbi saluti sit.

Qua ex secundi libri clausula satis manifestum est Paulum initio quidem duobus libris materiam illam pertractare in animo habuisse. Quae si non ita essent, sine dubio poeta has laudationes in extrema de ambone parte posuisset.

Sed iam supra huius libri et superscriptionis et praefationis auxilio demonstravimus hanc partem aliquanto post duos priores libros, qui *μεγάλη πάροδος* dicuntur, scriptam esse. Atque brevi quidem tempore Paulum ambonis descriptionem confecisse inde colligo, quod metricas licentias in ea invenimus, quibus omnino vacant duo priores libri. Fortasse senectute imperatoris Paulus, ut celerius poema finiret, inductus est; inter secunda enim encaenia atque Iustiniani mortem non plus quam duo intersunt anni.

In ambonis praefatione iambica similia proferuntur atque in alterius libri sex iambis; se haud ignorare adfirmat poeta non sibi ipsi sed materiae deberi, quod tam lubenter atque attente carmina sua audiantur. Incipit ipsa ambonis descriptio invocatis prophetis, apostolis, martyribus, ut et ipsi cantum poetae adiuvent; nam eum celebrari locum, de quo ipsorum verba contioni fidelium nuntientur; fere idem enim erat ambo atque id, quod nos vernaculo sermone *Canzel* vocamus. Gradibus ad eum adscenditur, qui columnis nixus infra choro locum canendi dat. In hac quoque aedis parte marmoris genera copiose enumerantur (47—75), praeterea lumina summo aedificio infixa (162—170), ipsi scalarum gradus, qui caute asperati sunt, ne quis descendens laberetur, alia multa. Hic ambo cum paeninsula a poeta comparatur, quia non solutus a ceteris aedis partibus in medio templo positus est, sed via ab utroque latere cancellis haud ita altis circumsaepta cum orientali abside coniungitur, per quam cum sacerdos sacrum librum aureum portat, multitudo hominum undique ad cancellos properat, ut illum osculetur. Septem autem ultimis versibus denuo eum laudat poeta, qui ea omnia creaverit, atque ei ipsi, urbi, incolis, templo favorem trinitatis imprecatur.

Haec fere sunt, quae Paulus de magna Byzantii ecclesia enarravit.

Atque si iudicium de eo facere volumus, primum quidem nobis quaerendum est, utrum Paulo contigerit, ut quae describere in animo haberet, revera ante oculos nobis poneret, necne; nam id imprimis, ut credo, omnes descriptionum auctores, sive versus scribunt sive oratione pedestri utuntur, spectent necesse est. Hoc autem assecutus esse

Paulus non solum mihimet ipsi videtur, sed etiam omnibus viris doctis, quicunque huic poetae operam dederunt, sicuti Du Cangio, Iacobsio, Bernhardyo, Paulssenio [1]). Quod iudicium exemplis fulcire difficile est, totum carmen legi oportet. Sed imprimis laudo, quod Paulus persaepe singulis templi partibus cum figuris artis geometricae comparatis commodissime impetravit, ut, quae dicere vellet, intellegeremus; velut eius partis forma, quae sanctissimae absidi orientali adiungitur et cuius infima pars directa est, cum cylindro comparatur (I 236 sqq. II 153). Cf. etiam triangulos illos supra commemoratos (II 52). Itemque *πόλος* (II 80), *κῶνος* (II 309), *κύβος* (a. 232), praeterea *πλάστιγξ* (II 427) exempla adponuntur.

At hoc quoque notandum est non raro poetam tumore orationis impedivisse, ne statim verba eius perspiceremus. Inflatae orationis nonnulla proferam specimina. Una eademque res bis exprimitur verborum ubertate prorsus non necessaria. Cf. libri I. prior. praef. v. 64 sq.:

ὅρκον βοηθὸν, ὅρκον ἀῤῥαγέστατον,
ὃν οὐ παρῆλθες, οὐδ' ἑκὼν παραδράμοις.

Statim depulit imperator dolorem ex aedis ruina acceptum (I 81 sqq.):

οὐκέτι δὴν ἐκάλυψε νόου σέλας, οὐδὲ κατηφής
ἠρεμέειν τέτληκεν ἀεργέος ἄμμασιν ὄκνου·
ἀλλὰ μινυνθαδίης ἀπεσείσατο κέντρον ἀνίης.

Secunda encaenia ipsi diei natali domini Christi antecedunt (I 194 sqq.):

ἔπρεπεν ἀμβροσίοιο θεοῦ προκέλευθον ἑορτῆς
ὑμετέροις λαοῖσι θύρην νηοῖο πετάσσαι.
ἔπρεπεν ἑξείης μετὰ θέσκελον ἦμαρ ἐκεῖνο
ζωοτόκου Χριστοῖο γενέθλιον ἦμαρ ἱκέσθαι.

De luminibus non cera, sed argento factis:

II 331 sq.: *πυρσοφόρους στήσαντο, λιπαυγέα δείκελα κηροῦ*
κόσμον ἀπαγγέλλοντα καὶ οὐ φάος·

334 sq.: *ἀπυρσεύτῳ δ' ἀμαρυγῇ*

[1]) Paulssenius descriptionem Pauli ex ipso codice Palatino exscripsit neque vero umquam hoc exemplar edidit. cf. illius praefationem collationi epigrammatum praemissam apud Iacobsium Anth. Pal. III adpend. p. VII. — cf. etiam Volkmannum comm. epic. p. 34.

ἀργυρέην ἀκτῖνα καὶ οὐ φλόγα κηρὸς ἰάλλει.
Porro cf. a. 86 sq.: τὸ δ' ἔνερθε λαχῆνας λαοτόμος κοίλῃνεν. aut 179: γυρὸν ἐυγνάμπτοιο καλαύροπος εἶδος ἑλίσσων.
Optime autem ex ambonis versu 242 sq. tumentem Pauli orationem cognoscimus:

ἀμβολάδην τις ἀμοιβαδὸν ὁλκὸς ἑλίσσων
ἀγκύλον ἑρπυστῆρι δρόμῳ σπείρημα κυλίνδει.

His autem pleonasmi exemplis alia quoque adponere liceat, ex quibus non minus appareat Pauli oratio supra modum exsultans et superfluens. cf. I 3: καναχήποδα ῥυθμὸν ἀράσσω (carmen canam). I 9 sq.: omnia aedificia superata esse aedis maiestate his expressit poeta verbis:

ᾧ ὑπὸ μούνῳ
πᾶν κλέος ὑψορόφοιο κατώκλασε θέσκελον ἔργον.

I 46 sq. translatione nimis adfectata utitur Paulus, cum laetitias restituti templi veterem dolorem omnino exstinxisse sic dicat:

μεγάλων γὰρ ἐπερχομένη χάρις ἔργων
Ληθαίοις ἐκάλυψε κατηφέα κέντρα ῥεέθροις.

Adde v. 104: ἀγλαΐης θημών (acervus splendoris). — v. 127 imperator non exspectavit comitatum delectorum iuvenum, qui nigras crepidas gestabant:

οὐ στρατὸν ἠνορέῃσι κεκασμένον εὔποδος ἥβης
σύνδρομον εὐόπλοιο μελαγκρήπιδα κελεύθου.

Ex secundo libro haec sola eligantur. II 201: Fortasse ne alter quidem Homerus marmorum varietatem laudare possit:

καὶ τίς ἐριγδούποισι χανὼν στομάτεσσιν Ὁμήρου
μαρμαρέους λειμῶνας ἀολλισθέντας ἀείσει; κτλ.

in v. 374 Paulus sanctas litteras καθαρῆς ἐγκύμονα ῥήτρης βίβλον nominat. Ex ambone hoc solum pro multis deprompsi; in praef. v. 20 cantum poetae λογικὴν ἀηδόνα appellat Byzantinus noster.

Sed iam satis; quia plura additurus fortasse nimium vobis dedisse videbor. Verum talia communia sunt Paulo cum extremae aetatis poetis omnibus, qui Nonni spiritum anhelantem imitati sunt. Cuius carmina, ut cum Tacito loquar, plus habent carnis, quam sanguinis. Hoc autem

vitium optime, ut solet, descripsit praeclarissimus ille Scaliger: verba digna sunt, quae plene exscribam[1]):

„Silentiarius vitio saeculi sui, quae tum virtus erat, usus est. Strepitus verborum, ambitus sententiarum, compositio dithyrambis audacior. Eiusmodi est ἔκφρασις ista. Quod uno verbo exponere poterat, maluit binis trinis versiculis producere. Me quidem ita non offendunt, qui saeculi morbum novi. Sed qui nihil praeter illos veteres legerit, cum ad haec se contulerit, tres continuos versus non patienter leget. Iuvat tamen nos, quod templi illius augustissimi adyta omnia nobis reseravit, ut illi gratias non tamquam poetae sed tamquam historico agamus."

Verum hac ipsa Scaligeri auctoritate nixus recte fortasse quispiam dicat: quonam iure Paulum ut poetam laudas, cum nil dederit nisi talem descriptionem Hagiae Sophiae, qualem nos, quia veterem ecclesiae formam iam non novimus, solo historiae studio commoti non parvi aestimamus? Haec autem pro me diluere conabor et durius esse Scaligeri iudicium demonstrabo. Nam hoc quidem concedetis esse iudicis, qui non ducatur praeiudicata opinione, omnino non perculsus tumore verborum omnia pervestigare, ex quibus poetae ingenium etsi mediocre eniteat, quasi stellula inter nubes. Talia autem lumina repperisse mihi videor. Studebat enim Paulus descriptionem suam, ne ieiuna fieret et arida — neque ab ullo huiusmodi carmine procul est hoc periculum — coloribus quibusdam illustrare haud indignis poeta. Iam supra enotavi Paulum omnia, quae antecedunt aedificii descriptioni, exposuisse, tamquam si ageretur res. Sed ipsam quoque descriptionem variis rationibus vegetiorem reddebat, velut ita, ut personas in ipsum eius tenorem induceret. Verum exemplis melius intellegentur, quae planius exprimere difficile est. II 23 sqq. poeta de portis templi occidentalibus dicit:

ἀλλ' ὁ μὲν αὐτῶν (sc. πυλεών)
ἐνστρέφεται νάρθηκος ἐπὶ στεινοῖο μετώπου
ἐς Νότον, ὃς δὲ Βορῆος ἐπὶ πτερά·

[1]) Leguntur haec verba in Iosephi Scaligeri epistolarum editione Frankofurt. 1628 pag. 487 sqq.; primo laudantur a Kreutzero l. l. praef. p. VI. adn.

neque vero addit poeta reliquas portas ad vesperum spectare, sed haec sunt verba:

τῶν γε μὲν ἄλλων
νηοκόρος παλάμῃσι μεμυκότα θαιρὸν ἀνοίγει
ἑσπέριον περὶ τοῖχον.

Aeditui autem persona inducta vividiorem fieri narrationem quis est, qui abnuat? Item II 71 Paulus virum luciferum (*φωσφόρος ἀνήρ*) quasi in scaenam produxit, qui periculosam semitam infra ipsum tholum factam sine metu ingressus lumina accendit; vel II 490—504 nautam, qui dum relicto Ponto nocte per Bosporum navigat aut ex Aegaeo mari per Hellespontum vehitur, non stellarum auxilio sed oculis ad magnae ecclesiae lumina conversis gubernaculum regit; vel II 105 Assyrium sive Celticum virum, qui arbores succidit; vel a. 110 *λαοτόμους* et alios aliis locis. Simile quid in v. II 209 sqq. usurpatur, ubi Paulus varia marmorum genera describit; Aegypti enim lapis purpureus commemoratur hisce verbis:

πολὺς δ' εὐπήχεϊ Νείλῳ
φορτίδα πιλήσας ποταμήϊδα λᾶας ἀνίσχων
πορφύρεος λεπτοῖσι πεπασμένος ἀστράσι λάμπει.

cf. etiam v. 205 et alios.

Praeterea similibus haud raro immixtis Paulus narrationem non iniucunde distinxit, quorum nonnulla paullo diligentius perlustremus. In posteriore primi libri prooemio, cum patriarchae benevolentiam exoraverit, Paulus ipse aliquem haec dicentem fingit: cur a patriarcha petis, ut benevolus sit, cum semper ille nil nisi benevolentiam clementiamque praebeat; nonne idem facis, quod is, qui a sole petat, ut die oriatur, aut a luce, ut luceat etc.? Nimirum melius celebrari non possunt viri sanctissimi virtutes. — I 153 sqq.: Oculi modo in hanc modo in illam templi partem coniciuntur, ut in amoenissima regione, ubi modo caelum, modo prata, moda rivum aut mare intuemur nec saturamur. — II 450: Lucernarum corona, quae tholi oram circumdat, in comparationem vocatur cum fulgente monili, quo rex filiae collum ornat. — II 479—485: Alius alium aedis locum captis oculis admiratur, sicuti viatores alius alio astro delectantur. — In ambonis praefatione (v. 21 sqq.) Paulus

ecclesiam unumquemque ad canendum incitare dicit, quasi ineunte vere omnes rami avium cantu pulchro resonent. — a. 195—199: Copiosius ambo insulae fecundae, immo vero paeninsulae (205—210) componitur. — a. 254—261: Veluti duplicatur nitor purpureae vestis, si extremae eius partes aureis filis ornantur, ita lapidarius marmoris splendorem metalli fulgore magnopere auxit. etc. etc.

Sed iam satis de similibus a Paulo adhibitis, quorum nonnulla non semel repetuntur a poeta, sed saepius vel solis, lunae, stellarum nitorem ille adfert, ut marmoris, luminum, aliarum rerum candorem dilucide describat, vel tholum cum caelo comparat (cf. II 255. 393. a. 132. 161. — II 416. — II 74. 80. 114).

Exempla ex antiquorum fabulis derivata duo repperi. II 433: Luminum catenae, quae ab imo in diversas partes discedunt, cum Hyadis cornibus conferuntur. Nonno enim teste Hyades, quae Bacchum aluerant, a Iunone in boves et equos mutatae sunt. — I 171: Homerum imitatus etiam Paulus Ossam et Pelium in Olympum cumulatos esse commemorat.

Sed aliis quoque ornamentis Paulus narrationem a ieiunitate revocare studuit, quae petivit ex arte rhetorica a recentiorum temporum poetis summopere exculta. Praecipue initia et primi libri et ambonis, de quibus supra dixi, magnam exhibent vim rhetoricam neque invenustam, eandemque observamus in finibus singulorum librorum, quorum primus, si comprobatur nostra coniectura, clauditur sacerdotibus satis rhetorice ad aedis portas aperiendas excitatis; alter vero longis laudationibus et imperatoris et patriarchae, ambonis descriptio et ipsa Iustiniani praedicatione finiuntur. Eadem ratione ipsa narratio non semel subito interrumpitur; saepius enim poeta exclamationis forma usus ad aliam descriptionis partem transgreditur; sicut calamitate aedis narrata ita ad describenda encaenia transit (I 177):

ἀλλὰ τί δηθύνω λαθικήδεος ἦμαρ ἑορτῆς
ὑμνῆσαι; τί δὲ μῦθον ἑλίσσομεν ἔκτοθι νηοῦ;
ἴομεν ἐν τεμένεσσι, θεὸν δ' ὑμνήσατε μύσται.

Bis Paulus verba *πῇ φέρομαι* adhibuit, altero loco (II 28 sqq.), ut descriptionem ab aedis partibus orientali et occidentali deflecteret ad medium templum:

πῇ φέρομαι; τίς μῦθον ἀνήρπασε πλαγκτὸν ἀήτης
οἷάπερ ἐν πελάγεσσι; μέσον παραδέδρομε νηοῦ
χῶρον ὑπερκύδαντα· πάλιν νόστησον ἀοιδή.

altero loco (II 339) poeta se ipse his verbis retinuit, ne longius procederet in describendis sanctis altaribus:

πῇ φέρομαι; πῇ μῦθος ἰὼν ἀχάλινος ὁδεύει;
ἴσχεο τολμήεσσα μεμυκότι χείλεϊ φωνή·
μηδ' ἔτι γυμνώσειας, ἃ μὴ θέμις, ὄμμασι λαῶν.

Quibus locis oratio eo quoque vividior fit, quod poeta ipse suam narrationem aut vocem quasi personas adfatur. Praeterea in rhetoricarum artium numero omnes habeo locos, quibus poeta in medio carmine imperatorem (I 149. 169 etc.) vel sacerdotes (II 342 etc.) vel sanctam crucem (II 322) adloquitur.

Denique, ut ad finem perducam hanc observationem, etiam singulis figuris rhetoricis efficitur, ut descriptionis oratio magis commoveatur. Nam his quoque Paulum haud parce usum esse ex hoc conspectu, etiamsi nonnulla dumtaxat exempla exhiberi possunt, satis patebit. — Anaphoram invenimus ita, ut singuli versus eisdem incohentur verbis,

in vv. I 13 sqq.: *οὐχ ὅτι σὸν ζυγόδεσμον — οὐχ ὅτι σῶν*
16 *ἀλλ' ὅτι σὸν περὶ πῆχυν κτλ.*
I 89[1]): *ὅττι σέθεν ζώοντος ἐπέχραε κάλλεϊ Ῥώμης,*
88 *ὅττι σέθεν ζώοντος, ὅτ' ἐγγύθεν ἐστὶν ἀρωγή.*
I 193 sq.: *ἔπρεπε σοὶ Σκηπτοῦχε μεγασθενές, ἔπρεπε Ῥώμη,*
ἔπρεπεν ἀμβροσίοιο θεοῦ προκέλευθον ἑορτῆς κτλ.
cf. I 44 et 51 *ἵλαθι τολμήεντι, μεγασθενὲς — — ἵλαθι μύθῳ* etc.

Multis locis eadem vox, quae primam versus sedem obtinet, post diaeresin bucolicam iteratur[2]), id quod etiam in exemplis modo prolatis invenimus; addas

I 18: *εἴξατέ μοι Ῥώμης Καπετωλίδες, εἴξατε φῆμαι.*

---

[1]) Versum 89 anteponendum esse v. 88 Spitznerus l. l. mihi persuasit, in cod. autem Pal. illum correctoris manu in margine inscriptum esse Stadtmuellerus me docuit.

[2]) Hoc de usu, qui maxime valuit in bucolicorum poetarum versibus, cf. Herm. Fritzschii dissertationem, quam inscripsit *Zu Theocrit u. Virgil (Leipzig 1860)*, p. 9 sqq.

II 581 sqq.: *λιτὰ δὲ σοὶ καὶ δόρπα καὶ ὀμφήεσσα μενοινή,*
λιτὰ δὲ σοὶ βλεφάρων ἀμαρύγματα, λιτὰ δὲ ταρσῶν
ἴχνια σῶν καὶ λιτὸν ἔπος σέο χείλεα πάλλει.
II 576 sq.: *χεῖρα δυσαντήτων ἐλατήριον ἀμπλακιάων,*
χεῖρα λιποκτεάνοισιν ἐπαρκέα, χεῖρα τιθήνην
ὀρφανικῶν κτλ.

et II 351 sq. 518 sq. 528 sqq. 540 sq. 559 sqq. et multos alios versus. Has quoque figuras adiciam, quas certo termino significare nequeo; ita eae efficiuntur, ut unius eiusdemque vocabuli varii casus alter alterum excipiat, ut

II 62: *καὶ στυφελὰ στυφελοῖσιν ἐπ' ἄχθεσιν ἄχθεα θεῖσαι.*

aut II 610: *καθαρὸν καθαροῖσι.* a. 261: *περὶ κάλλεϊ κάλλος.* Sed his ipsis figuris Paulum se adseclam praebere Nonni ex poetae Panopolitani versibus quibusdam cognoscitur, quos, etiamsi non ad verbum omnes conspirant cum commemoratis Pauli figuris, tamen exempla Paulo ante oculos versatos esse mihi persuasum est[1]).

Necessitudo autem illa quanta sit inter Nonnum et Paulum, sequentibus capitibus demonstrabo. Ad quae nunc statim transire haud cunctarer, nisi reliquum esset carmen quoddam semiambicum ipsum quoque sub Pauli Silentiarii nomine relictum, quod in finem huius capitis reservare malui, quia de ipso auctore non sine causa dubitatum est.

Hoc carmen non traditum est in nobilissimo anthologiae codice Palatino; primus illud publici iuris fecit Aldus Manutius in adpendice, qua anthologiam graecam anno 1503 emissam auxit. Inscriptum est hoc poema iambicum sic: *Παύλου Σιλεντιαρίου εἰς τὰ ἐν Πυθίοις θερμά, ἡμίαμβα δίμετρα καταληκτικά.* Cuius de historia sane mira — erant enim typographorum stultitia singuli versus adeo confusi,

---

[1]) Cf. cum Paul. I 193 Nonn. 11, 17:
ἔπρεπε σοὶ ῥόος οὗτος ἐπήρατος, ἔπρεπε μούνῳ
κάλλεϊ σῶν μελέων.
cum Paul. I 51. Nonn. 2, 157: *ἵλαθι, δάφνη.* 47, 329: *ἵλαθι, Πειθά.* 3, 104 etc.
cum Paul. I 18 sq. Nonn. 9, 235: *εἴξατέ μοι· Σεμέλη γὰρ κτλ.*
39, 66: *νέκταρι δ' οὐ πέλεν οἶνος ὁμοίιος· εἴξατε, θύρσοι.*
Paul. II 62 al. adponas Nonn. 37, 443 sq.:
καὶ ναέτης ναετῆρι, φίλος δ' ἐρίδαινεν ἑταίρῳ,
γηραλέος δὲ γέροντι, νέῳ νέος, ἀνέρι δ' ἀνήρ. etc. etc.

ut totum omnino sensu careret — conferas eximiam Gottholdi Lessingii dissertatiunculam, quam sine maxima iucunditate legi non posse sagacissimi viri nomen satis testatur. Sed etiam ipsum carmen scholiis notisque criticis auctum edidit Lessingius et in fine dissertationis, quae sentiret de auctore, protulit[1]). Nec non desiderantur hi iambi in Brunckii editione anthologiae (Lipsiae 1794. tom. IV p. 64 sqq.).

Narrat hoc in carmine poeta perpauca de balneis illis Bithyniae — nam hac in Asiae regione thermae Pythiae sitae erant — permulta vero et de natura fontium calidorum et de montibus flammas eructantibus et de aliis miraculosis fontibus ignibusque et de quibuslibet miraculis, quae fere omnia hausta esse ex Pseudo-Aristotelis libro *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* inscripto diligenter demonstravit Fr. Iacobsius in adnotationibus (Anthol. Brunck. tom. XI p. 175 sqq.). Hoc carmen Pauli cuiusdam Silentiarii esse omnes testantur codices, quos Fabricius in bibliotheca graeca (vol. IV p. 488 Harless.) enumerat. Hic autem Paulus ex Lessingii sententia idem est ac poeta noster Byzantinus, descriptionis epigrammatumque auctor, quamvis unum codicem (Medic. plut. 55 cod. VII) semiambos illos Paulo multo iuniori tribuere hac superscriptione constet: *Π. Σ. εἰς τὰ ἐν Πυθίοις θερμά, ἡμίαμβα δίμετρα, πρὸς τὸν βασιλέα τὸν Κωνσταντῖνον τὸν Πορφυρογέννητον;* quam sequitur hoc carminis initium:

Βούλει μαθεῖν Αὔγουστε
Κωνσταντῖνε κράτιστε
Θερμῶν ἄτεχνον ῥεῦμα κτλ.

Alterum versum interpolatum esse a falsario quodam nec minus superscripta verba Lessingius compluribus causis demonstravit, quas nunc adferre longum est. Neque nego hoc initium comparatis ceterorum codicum verbis

Βούλει μαθεῖν ἄνθρωπε
Θερμῶν ἄτεχνον ῥεῦμα

maxime suspectum esse. Sed etiamsi huic memoriae non

---

[1]) Cf. Lessingii opp. XIII 1, p. 194—231 (Berolini ap. Hempel.) *Paulus Silentiarius auf die pythisch. Bäder.*

esse credendum concedamus, num eisdem causis demonstratur auctorem esse Paulum illum, qui Iustiniani aevo florebat?

Verum habet aliquid Lessingius, quod valde memorabile videtur esse. Procopius enim in libri V. capite tertio operis supra laudati, quod est de aedificiis a Iustiniano exstructis, narrat de thermis illis, quas imperator summopere auxit regia aedificata et publicis balneis institutis, et in quas fontes salubres et alios dulcis aquae immisit. Quid? Verisimillimum nonne est Paulum Silentiarium sub Iustiniano vigentem carmen illud de Pythiis thermis scripsisse, praesertim cum iam alterum eius poema cognovissemus, quo templum Hagiae Sophiae ad maiorem Iustiniani imperatoris gloriam descripsit? Ad hoc accedit testimonium codicum, qûi ad unum omnes Paulum Silentiarium auctorem nominant. Haec fere Lessingii sententia est.

Mihi autem codicum, ut primum de eis agam, superscriptione nil demonstrari videtur, si qua causa commoveamur, ut de Iustinianeo Paulo auctore ambigamus. Nam quid est, quo prohibeamur, ne duobus viris idem nomen fuisse existimemus [1]? Hanc autem dubitationis causam primam haurio ex ipsa Procopii narratione. Quid? Paulum illum, quem in descriptione magnae ecclesiae, ubicunque potuit, occasionem celebrandi imperatoris non solum lubenter usurpantem sed etiam avide arripientem vidimus, Paulum in hoc carmine, quod est de thermis ab eodem imperatore valde amplificatis, omnino tacuisse putemus de aedificiis eis, quae Procopius enumerat, nedum imperatorem laudibus extolleret, qui ea condidit? Alienissimum hoc mihi videtur a natura poetae nostri, qualem ex descriptione intelleximus.

Praeterea haud facile crediderim Byzantini nostri, quem artibus litterisque tam eruditum Agathias celebravit, hoc esse opusculum sane vile maximamque partem ex Ps.-Aristotelis libello conflatum, in quo poeta de quibuslibet rebus agit, sed vix de ea re, quam describendam ipse sibi proposuit.

Sed has causas non id ponderis habere, ut satis ex

---

[1]) Totum enim Pauli nostri nomen, quod legitur in ecphraseos codice, nullus huius carminis codex exhibet.

eis eluceat Paulum nostrum auctorem non esse, haud ignoro; itaque valde doleo, quod ex arte metrica aut ex sermone nil enucleatur, quippe quae cum hexametrorum arte, quam in Pauli carminibus invenimus, comparari nequeant. Hoc autem adiciam talem verborum compositionem, qualis occurrit in vocabulis *ἀναρχοφωτόμυστον* (v. 174) et *ἀῤῥητολεπτόπνευστον* (v. 175) prorsus abhorrere a Pauli sermone. Nec hoc silentio praeteream in nonnullis versibus continuis clausulas inter se consonantes me repperisse, id quod consilio factum et posteriorum temporum esse arbitror, sicut in versibus, ut hos tantum enumerem:

3—8 *νοσοῦσι* — *πᾶσιν*. *δώρημα* — *γάνυσμα*. *δείξω* — *διδάξω*. 51. 52 *θειώδεις* — *βροντώδεις*. 65. 66 *ἀναῤῥοιβδεῖται* — *ἐκπνεῖται*. 167. 168 *θεόν σου* — *φαντάζον*. 171—173 *πνεῦμα* — *πρᾶγμα* — *θαῦμα*. 188. 189 *ζητήσεις* — *θεώσεις*.

Consideratis his omnibus equidem a Paulo nostro Iustinianeo hoc carmen abiudico. Hoc ne a veteribus quidem sine ulla dubitatione Paulo nostro tributum esse forsitan inde concludere liceat, quod fieri potuit, ut superscriptio et versus ille interpolarentur. Fortasse hoc carmen quasi *ἀδέσποτον* in codice quodam Paulo adscriptum est, unde reliqui codices originem duxere. Sed hac de re certi nihil contendi potest, nisi optime cognitis omnibus codicibus, in quibus carmen illud traditur. Itaque nunc quidem cautius est in suspenso relinquere hanc quaestiunculam.

II.

De Pauli Silentiarii arte metrica.

Godofredus Hermannus, vir ille μετρικώτατος, in praeclarissimo illo libro, qui Orphica inscribitur, cum hexametrum aliis temporibus aliter formatum esse demonstraret, quasi historiam evolvit versus heroici (p. 687 sqq.). Cuius versus quae propriae sint licentiae et quam varie illae inde ab Homero usque ad postremos poetas epicos usurpatae sint, ostendit; nec minus copiose disputat de singulis legibus Nonni eiusque discipulorum, in quorum numero epigrammaticos Paulum Silentiarium, Leontium, Macedonium et Musaeum, Triphiodorum, Colluthum, Christodorum, Ioannem Gazaeum, Apollinarem habet. Nam de caesurarum usu, de correptione attica, de elisione, de hiatu, de productione brevium syllabarum disserit eaque de re, quomodo Nonnus ea aut omnino vitaverit aut raro tantum certisque condicionibus adhibuerit. Has Hermanni observationes, quarum quod nonnullae minus diligenter expositae sint, nemo vituperabit, qui hoc opere primum de his rebus agi secum computaverit, alii viri docti partim ad finem perduxerunt partim valde amplificaverunt. Inter quos Lehrsius [1]), Volkmannus [2]), Tiedkius [3]), Hilbergius [4]) alii locum obtinent; prae ceteris autem Ludwichius [5]), vir Nonni peritissimus, laudandus est. — Sed de sectatorum quoque arte metrica singulae dissertationes scriptae sunt, ut praetermittam eas observationes, quae demonstratis legibus Nonnianis a viris doctis adnexae

---

[1]) Lehrsius 'quaestiones epicae'. Regimontii Pruss. 1837, diss. IV.

[2]) Ric. Volkmannus 'commentationes epicae'. Lipsiae 1854, comm. I.

[3]) Tiedkius et in dissertatione (Berolini 1873) et in compluribus Hermae commentationibus (tom. XIII. XIV) de Nonno exposuit.

[4]) Hilbergius *Das Princip der Silbenwägung. Wien 1873.*

[5]) Arth. Ludwichius *Beiträge zur Kritik des Nonnus von Panopolis. Königsberg 1873. Progr.* — *Jahrb. f. Phil. CIX* p. 441 ff. etc. Adde Guil. Meyeri dissertationem *(Sitz.-Ber. der bayr. Ac. d. W. phil.-hist. Classe* 1884. S. 979 ff.).

sunt. Sic ad Triphiodori Ilii expugnationem Wernickius [1]) adnotationes persaepe laudatas scripsit, in quibus non raro usum metricum attigit. Baumgartenus [2]) vero nuper de Christodoro dissertationem foras dedit, cuius maior pars de arte metrica et de dictione huius poetae est [3]).

Equidem quomodo Paulus Silentiarius in metrica arte excolenda Nonni vestigia persecutus sit, in hoc capite demonstrare conabor, in quo dispositionem, qualem Baumgartenus adhibuit, retinere non alienum mihi videbatur, et quod nullam aptiorem huic materiae esse puto, et quod, si quis Christodori et Pauli leges inter se comparare voluerit, hoc modo celerius ad finem perveniet.

Hoc autem praemitto observationes meas spectare imprimis ad magnae ecclesiae descriptionem, quia hoc carmen continuis hexametris conditum est. Epigrammatum autem artem metricam tum demum commemorabimus, si ea re conspicua est, quod poeta valde discedit a regula. Quibus in carminibus si paulo liberiorem invenerimus Pauli usum, non mirabimur; haec enim licentia ipsa huius poeseos levitate non solum satis excusatur, sed etiam paene postulatur.

1. Iam Hermannus, cum de structura hexametri Nonniani dissereret, primo loco animos ad singularem illum usum convertit, qui neminem latere potest, qui aliqua diligentia Panopolitani versus observet (l. l. p. 696). Est enim frequentissimus usus caesurae trochaicae tertiae *(κατὰ τρίτον τροχαῖον)*, quae omnino praevalet ante caesuram semiquinariam (penthemimeren). Cuius usus de causis variae coniecturae excogitatae sunt, velut a Baumgarteno (p. 24) et a Scheindlero (Stud. Vindob. 1880. p. 42). Mihi quidem haec res cohaerere videtur cum universo Nonni studio semper observando, quo commotus poeta versum heroicum, quoad

---

[1]) *Τρυφιοδώρου ἅλωσις Ἰλίου* edidit Fr. Aug. Wernicke. Lipsiae 1819.

[2]) Fridericus Baumgarten „De Christodoro poeta Thebano.“ Bonnae 1881.

[3]) Item nuper Ricardus Holland in commentationibus, quibus Ottoni Ribbeckio congratulantur discipuli Lipsienses (1888) p. 383 sqq. ('de Alpheo et Arethusa') uberrime ita disputavit de Anthologiae Pal. carm. IX 362, ut quas de Nonni arte metrica constituerunt leges, num revera adhibitae essent, diligenter examinaret.

potuit, volubilem reddere studuit. Neque enim quisquam negabit caesura semiquinaria versus fluxum multo magis interrumpi quam caesura illa *κατὰ τρίτον τροχαῖον*. Quae quantopere apud Paulum quoque semiquinariam obscuraverit, ex tabella statim proponenda intellegas, quae omnino non aliter disposita atque illa Baumgarteni (p. 23) etiam de ceteris caesuris maioris ponderis doceat eos, qui eam inspicient. 28 autem versus ex 1165 totius carminis propter nimias lacunas observari non potuerunt.

Coniuncta est	caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον*								penthemimeres						
cum	nulla	trith.	hephth.	bucolica	trith. et hephth.	trith. et bucolica	hephth. et bucolica	trith. hephth. b colica	hephth.	bucolica	trith. et hephth.	trith. et bucolica	hephth. et bucolica	trith. hepth. bucolica	in summa
in versibus huius formae															
d s d d d	16	22	23	93	25	103	22	21	3	37	—	10	12	—	387
d d d d d	13	24	16	65	24	98	21	28	3	29	2	13	1	3	340
d s d s d	37	49	28	—	30	—	2	4	3	—	1	—	—	—	154
d d d s d	21	38	27	—	20	—	5	8	11	—	5	—	1	—	136
s d d d d	3	6	3	20	7	27	4	5	2	10	—	1	3	—	91
s d d s d	6	11	3	—	4	—	1	—	3	—	1	—	—	—	29
in summa	96	150	100	178	110	228	55	66	25	76	9	24	17	3	+ 28 corrupt. = 1165

Quibus ex numeris satis cognoscitur apud Paulum non minus frequentem esse caesuram tertiam femininam, quam apud ipsum Nonnum. Nam si eam in 983 Pauli versibus, penthemimeren vero in 154 invenimus, sextam partem versuum masculinam caesuram exhibere ars arithmetica edocet. Eandem autem harum caesurarum rationem Tiedkius (quaest. Nonn. spec. I p. 2) apud Nonnum repperit. Verum non solum numero caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* penthemimeren superat, sed etiam eo, quod ipsa sola in versu dominari potest (apud Paulum in 96 vv.), cum penthemimeres numquam ceterarum frequentium caesurarum adiumento indigere possit, sed semper aut cum semiseptenaria (hepthemimere) aut cum bucolica coniuncta sit, i. e. cum alterius hexametri

partis caesura. Nam ne semiternaria (trithemimeres) quidem sola sufficit ad adiuvandam tertiam caesuram femininam.

Ceteris autem caesuris, quae propter necessariam tertii pedis incisionem versum dividunt, longe praestat bucolica (647)[1], quae, si accuratius discernimus, in diaeresium numero habenda est; quin etiam maxime ea sola ad tertiam caesuram accedit aut coniuncta cum semiternaria. Usitatissima autem haec est caesurarum coniunctio: trithemimeres, caesura III. trochaica, bucolica. — Sequitur trithemimeres (589), quae sola cum caesura III. feminina coniuncta apparet in 150 vv.

Multo rarius semiseptenariam invenimus (384), saepissime aut solam (125) aut trithemimeris comitem (119). Quae caesura si una cum bucolica alterum versus hemistichium incidit, quaestiunculam ponere ex re est, utra praevaleat; et iam movit eam Baumgartenus, qui p. 25 hanc legem de Christodori usu constituit: Si in quarti pedis thesi vocabulum pyrrhichium stat, semper fere praevalet bucolica, saepissime etiam interpunctione adiuta. In duobus Christodori versibus (369. 407 A. P. lib. II.), de quibus dubitare possis, semiseptenaria ideo dominari nequit, quod prope antecedit tertii pedis caesura interpunctione corroborata. Sin autem longa est quarti pedis thesis, semper propter sensum semiseptenaria dominatur et ter quidem inter sex huiusmodi versus interpunctione indicata. Eadem fere apud Paulum observantur. Nam in 120 versibus, qui pyrrhichium vocabulum in thesi IV. exhibent, saepissime (91) bucolica sensu postulatur; in 49 vv. etiam interpunctionum vis accedit[2]. 29 autem versuum sensus semiseptenariae imperium flagitat, quod bis etiam interpunctionis insigni ornatur (I 73. 201). Maxime in his versibus vocabula pyrrhichia praepositionibus efficiuntur (*περί*, *ἐπί*, *κατά* etc.), quae arte cum sequentibus verbis iunctae sunt. Cf. amb. 11. I 214. a. 220. Sed apud Paulum quoque pedis III. caesura vis huius semiseptenariae non raro infirmatur.

---

[1]) His numeris, quoties singulae caesurae apud Paulum obviam fiant, indicatur.

[2]) Cf. Paul. II 312: *ἀλλά τις ὀκτάπλευρος ἔφυ βάσις · ἐκ δὲ κελεύθου.*

— Sin autem longo monosyllabo (*καί, οὐ, μή, ἤ*) hephthemimeres antecedit (21) semper praevalet illa ante bucolicam; in 7 versibus interpunctione quoque seiungitur a thesi quarta [1]).

Iam venimus ad reliquas hexametri incisiones, quae non inveniuntur in tabella; atque primum quidem

a. de caesuris trochaicis disserimus, quarum usitatissima est apud Paulum caesura *κατὰ πέμπτον τροχαῖον*. Propter frequentiam ei locus post bucolicam tribuendus esset, si sensus versuum ei tantam impertiret vim, quantam bucolicae. Quod ne fiat, ipso versu ad finem properante vetatur, quem graviore incisione post bucolicam posita vehementius interrumpi concedes. Eis tantum in versibus, in quibus pedis III. caesuram aut vocabulum, quod plures quam quattuor habet syllabas (cf. I 7 *ἐπαυχήσαντες ἀέθλοις*), aut monosyllabum cum tali vocabulo coniunctum sequitur (cf. I 17 *φαεινοτέρην σε τεκούσης*), pedis V. caesurae trochaicae vim quandam tribuamus. Idem fit, si haec caesura post monosyllabum vocabulo plurium syllabarum arte adfixum stat, veluti post *τίς, δέ, μέν, γάρ* voculas. Cf. I 28 *ἐπασσυτέροις δὲ βελέμνοις*. Sed saepissime ea aut bucolica aut semiseptenaria omnino obscuratur. — Rarior quam haec caesura sed multo maiore pondere praedita est caesura *κατὰ πρῶτον τροχαῖον*. Nam persaepe sensu ei vis adiudicatur etiam interpunctione conspicua, praecipue ante vocabula quattuor aut quinque syllabarum ita, ut spondeus in altero pede stet, cf. I 7 *δεῦρο, πολισσοῦχοισιν*; si coniungitur cum trithemimere aut diaeresi pedis I., hae caesurae praevalent. — Perrara atque aut trithemimere aut diaeresi I. semper fere oppressa caesura trochaica pedis II. est. Nec mirum, nam hexameter incisiônem prope sollemnem tertiam haud lubenter pati videtur. Neque enim minus raram esse videbimus diaeresin pedis II.

Caesuram pedis IV. trochaicam, qua plane abstinuisse Nonnianos Baumgartenus expressis verbis dixit (p. 27, cf. Hermann. p. 691), tamen in 17 vv. Pauli inveni neque vero umquam ulla auctoritate praeditam; sed aut sequens vocabulum (*δέ, τίς, μέν*) tam arte cum antecedenti coniunctum

---

[1]) Cf. Paul. I 119: *τέτλαθι παμβασίλεια πόλις, μὴ θυμὸν ἀμύξῃς.*

est, ut bucolica valeat, aut, id quod bis in descriptione (I 223 a. 86), semel in A. P. (V 248, 5) fit, verbum huic pedis IV. caesurae praecedens articulus *τό* est artissime cum sequenti cohaerens, ut semiseptenaria dominetur. Duo soli versus abhorrent ab hoc usu, quorum alterum II 312 sq.:

ἐκ δὲ κελεύθου
εὐρυτέρης κατὰ βαιὸν ἐς ὀξὺ κόρυμβον ἀνέρπει

iam Hermannus ita emendavit, ut duo verba *ὀξὺ κόρυμβον* in unum contraxerit similibus Nonni sectatorumque vocabulis nixus[1]). — Idem fecit Hermannus in altero versu II 438: *οὐδὲ Νότον τρομέουσι καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην.* Sed hoc loco nihil esse mutandum puto, quippe quo Paulus Homerum imitetur. Cf. Od. *ε* 272 *καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*, quod hemistichium etiam apud Musaeum in v. 213 legitur. Homeri autem imitatione haec licentia satis excusatur.

Plus offensionis habet A. P. V 262, 5, ubi verborum contextu cogimur, ut huic caesurae vim quandam concedamus:

Ἵστασο καὶ σκοπίαζε, μάτην δὲ σὸν ἦτορ ἀμύσσου.

Hoc igitur loco primo poetam epigrammaticum liberiorem deprehendimus; qua de re ne miraremur, iam supra monui.

Sed his exceptionibus non prohibemur, quin Paulum una cum Nonnianis pedis IV. caesuram troch. vitasse contendamus.

b. Caesurarum masculinarum, ut ad eas transeam, tres insignes hexametri locos obtinent, scilicet semiternaria, semiquinaria, semiseptenaria. Ex ceteris pedis I. caesura numquam primum hemistichium incidit, nisi eam aliarum caesurarum tutelae sublevant; uno versu excepto, in quo verbum sex syllabarum hanc caesuram sequitur, a. 74 *πῇ δ' ὑπολεπτυνθεῖσα.* — Caesurae masc. pedis V. propter vicinam aut bucolicam aut caesuram troch. V. raro tantum pondus quoddam tribuitur; saepissime antecedunt verba aut quattuor aut quinque syllabarum, perraro autem spondaica (5) aut anapaestica (5) vocabula[2]). Legem a Meyero con-

---

[1]) Cf. *ὀξυκάρηνος* apud ipsum Paul. II 460, aut Nonni *ὀξυκέλευθος, ὀξυέθειρος* aut *ὀξυκέρατος, ὀξυόδους.*

[2]) Cf. Baumg. p. 26. Tiedk. qu. Nonn. spec. I p. 16 sqq. et Meyer. p. 1010.

stitutam [1]) (numquam esse coniunctam penthemimeren cum caesura masc. V.) etiam Paulum observasse ipse vir doctus (l. l. p. 1006) demonstravit. Paucis enim in eis versibus, in quibus haec caesura penthemimeren sequitur, omnino non sentitur monosyllabis, quae semper in arsi V. stant, ab antecedentibus verbis interpunctione seiunctis et sequentibus arte adligatis. De pedis VI. caesura masc. hoc loco haec dicam: eam semper post bucolicam stare nec non praecedentibus verbis choriambicis; de duobus, qui abhorrent, locis infra explicabo, ubi de monosyllabis versum claudentibus disserendum erit.

c. Inter diaereses, quas postremo contemplamur inter hexametri incisiones, excepta bucolica diaeresis pedis V. maxime frequens est numero quidem, sed hac quoque parte caesurae troch. V. simillima omni vi caret; nam eis quoque in versibus, in quibus vocabulum ei antecedit sensu artius coniunctum cum nomine, quod ante bucolicam stat (sicut in v. II 73 *ἐς ἄπλετον‿ἠέρα | πήληξ*), bucolica, qua est gravitate, praevalere mihi videtur. Fortasse tamen in his versibus (cf. etiam II 188. 211 et alios) intervallum quamvis parvulum hac diaeresi effici velis, nec minus, si, id quod raro fit, aut verbum sex syllabarum aut verbum quinque (quattuor) syllabarum cum *δέ, τίς* voculis coniunctum huic diaeresi antecedit, ut alia incisione careat alterum hemistichium (cf. I 84 al.). — Saepius autem ponderis cuiusdam diaeresis pedis I. est, praesertim cum sequente vocabulo plurium syllabarum sola in primo hemistichio dominetur. Maior pars eorum versuum, qui spondeo incohantur, hanc diaeresin exhibet. — Neque vero umquam sentitur diaeresis pedis III., quia antecedentia verba (*καί* aut praepositiones) semper arte cum sequentibus cohaerent. Diaeresis pedis II., ut caesura troch. II., perraro [2]) neque umquam ante penthemimeren exstat; numquam igitur arsis III. monosyllabo efficitur. Tres versus aliquid offensionis habent, quia dactylicum aut spondaicum verbum huic diaeresi antecedit (I 75. II 480 a. 181 [3])),

[1]) l. l. p. 991. 1005.

[2]) Cf. Baumg. p. 30.

[3]) I 75: *ἀνέρας ὁππότε νῶτα.* II 480: *ἀστέρας ἄλλοθεν ἄλλον.* De a. 181 infra dicam.

id quod propter sonum, ut equidem credo, vitavere hi poetae. Nam sic quasi concidi versus mihi videtur.

2. Sed non tantum versus incisiones ex tabella a nobis prolata discimus, verum etiam varias hexametri formas, dactylorum et spondeorum usu effectas, quatenus eas admisit Paulus, ex ea cognoscimus. Nam hunc quoque usum a Nonno eodem consilio, quo semper inductus versus conformavit, temperatum esse, ut versum, quantum potuit, redderet volubilem, princeps Hermannus (l. l. p. 690) his verbis demonstravit: „spondeorum pondus cum dactylorum volubilitate commutavit". Etiam diligentius hunc Nonni usum perscrutatus Arthurius Ludwich in annal. philol. CIX, p. 237 docuit comparato spondeorum numero quintuplam fere dactylorum multitudinem in Panopolitani Dionysiacis inveniri. Itaque ex 32 formis versus Homerici novem apud Nonnum sunt (apud Christodorum 11). Paulus autem huic usui etiam angustiores constituit fines, quam ipse magister. Sex enim formas eum adhibuisse ex tabella nostra apparet (cf. Ludwich. *Beitr.* p. 46). Nam sicuti Nonno duce spondeum omnino reppulit ex quinta versus sede, ita eo ne in tertio quidem pede usus est, quam ob rem tres Nonni formae apud Paulum desiderantur. Cuius usus causam eandem puto, qua Nonnus ducebatur, ut hexametro leviores pennas tribueret. Nam si post gravem semiquinariae incisionem alterum hemistichium a longa syllaba incipit, multo tardiorem fieri versus fluxum, quam si levissimo anapaesti rhythmo oratio excipitur, fortasse non negabis.

Item severiorem deprehendimus Paulum quam Nonnum aut eius adseclas numquam adhibitis duobus spondeis continuis, id quod quamvis parce admisit Nonnus in pede II. et III.[1])

Hunc usum valde severum Paulum in A. P. epigrammatis non semper secutum esse videmus. Nam quamquam etiam in his carminibus leviores hexametri formae (saepissime dsddd et ddddd) praevalent, tamen nonnullos versus legimus, quibus poeta duos spondeos continuos adhibere non

[1]) De Nonnianorum usu cf. Ludwich. *Beitr.* l. l. Volkmann. comm. ep. p. 24. Baumg. p. 29.

veritus est. Cf. V 275, 5: ἡ παῖς ἐξ ὕπνοιο. s s d d d. — VI 54,1: τὸν χαλκοῦν τέττιγα. s s d d d; eiusdemque formae sunt VI 54, 5. 84, 7. VII 307, 3. — VI 57, 5 s s d s d. — V 230, 1 Ludwichius (Mus. Rh. XLI p. 594 sq.) emendavit codicis

χρυσῆς εἰρύσσασα μίαν τρίχα Δωρὶς ἐθείρης

in χρυσείης ἐρύσασα, adiectivis semper χρύσεος aut χρυσεῖος, numquam χρυσοῦς usum esse Paulum monens. — Etiam in pede III., quem poeta in ecphrasi utique dactylicum servabat, spondeus exstat in A. P. V 228, 5: ὄμμασιν οἷς Ῥοδόπην οὐ δέρκομαι aut 279, 3 κραδίης πυρσός. — Maximam autem licentiam exhibet A. P. VI 75, 3 tribus continuis spondeis admissis:

Οὔποτε γὰρ πλαγκτὸς γυρᾶς ἐξᾶλτο κεραίας
ἰὸς κτλ.

Quid vero dicamus de Nonniani illius inconstantia, qui etiam in pede V. spondeum ponere ausus est? Fortasse Ludwichio auctore veniam ei dabimus, quod in A. P. V 230, 7 versum σπονδειάζοντα usurpavit. Recte enim vir doctus (l. l. p. 599) demonstrat poetae verba ἀπὸ τριχὸς ἠέρτημαι, quibus notum exprimatur proverbium[1]), ad certum exemplum spectare. Fortasse haec ipsa forma proverbii in usu erat. Ea tantum condicione audacissimam licentiam excusari Ludwichius putat. — Nec minus sagaciter vir doctus alterum epigrammatum Paulinorum versum spondiacum de medio sustulit, A. Plan. 57[2]). Rectissime enim refutatis Gehrhardii (lection. Apollin. p. 146) coniecturis ἀλλά με τέχνη et ἀλλ' ὁ τεχνίτης scribi voluit ἀλλά ἑ τέχνη, qui hiatus etiamsi vitatur in descriptione Pauli, tamen non abhorret a Nonni arte metrica (cf. infra pag. 58). Maxime vero stabilitur haec coniectura duobus Christodori locis A. P. II 30 et 43. ἀλλά ἑ τέχνη·

Duobus continuis spondeis etiam in pentametris Paulus etsi parcius usus est. Cf. V 258, 2. 279, 6. VI 75, 8 Saepissime autem his quoque in versibus forma d s | d d occurrit.

---

[1]) Cf. Duebner. in A. P. V 230 adn. et Leutsch. paroem. gr. I p. 69 ad 47. — Plutarch. Apophth. Lacon. 234 F οὐ προσέχω εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἀπηρτημένῃ. Apostolii Cent. III 50 ἀπὸ λεπτοῦ μίτου τὸ ζῆν ἠρτῆσθαι.

[2]) Cf. Zeitschr. f. östr. Gymn. 1878, p. 487 sq.

Adhibuit Paulus spondeos, ut ceteri Nonniani, in pede II. et IV., rarius in pede I.

Sed etiam usus vocabulorum spondaicorum certis terminis definitus est, cuius leges alias iam a Wernickio et a Volkmanno (Merkelio), alias a Tiedkio et Baumgarteno constitutas recte collegit atque dilucide expressit Meyerus (l. l. p. 1010). Etiam Paulus earum plurimas observavit. Explere pedem verbo spondaico non licet nisi in primo et pede postremo. Qua ab regula semel recedentem videmus Paulum in amb. v. 181 supra memorato:

τόνδε γὰρ οὕτω χῶρον ἐφήμισαν ἄμβατον οἴμαις·

Hilbergius (l. l. p. 162) hanc licentiam pati non vult, sed hunc locum mutat in *τόνδ' οὕτω γὰρ χῶρον*, qua ex emendatione non bene novisse virum doctum Pauli leges metricas sponte apparet. Neque enim umquam Paulus duos spondeos admisit continuos. Hac de causa etiam Scheindlerus (*Ztchr. f. ö. G.* 1879, p. 439) Hilbergii coniecturam refutat, sed et ipse memoriam tentari mavult. Mihi quidem licentia illa non tanta videtur, quae eiciatur e Pauli carmine. Fortasse persimiles Homeri loci hac in re tutanda quasi patroni adesse possunt, quorum decem repperi. Cf. *Ξ* 366 *ἀλλ' ὁ μὲν οὕτω φησί. λ* 348 *τοῦτο μὲν οὕτω. μ* 37 *ταῦτα μὲν οὕτω. δ* 485. etc.

Primus enim Wernickius[1]) hanc legem ita constituit: „in hac sede (sc. II.) spondeus repudiatur, quem duo monosyllaba efficiunt aut unum vocabulum bisyllabum"[2]); quam legem probare noluit Baumgartenus[3]). Immo vero sic eam commutavit: numquam admissam esse post alterum spondeum diaeresin, ne versus tardaretur. Sed quamquam haud multum refert, tamen aliter exprimendam esse hanc legem puto coniunctis duobus praeceptis. Neque enim versus tardari mihi videtur, si post secundum spondeum stat diaeresis, quae interdum hoc loco ponitur (cf. Paul. I 23 *καὶ γὰρ Ἄναξ οὐ μοῦνον.* I 95. 136 etc. aut Christod. 1. 307. 403),

---

[1]) Ad Triph. p. 39. Cf. etiam Tiedk. qu. Nonn. spec. I § 4.

[2]) Cf. Paul. II 575: *τλήμονες, οἳ μὴ χεῖρα* et amb. 181 *τόνδε γὰρ οὕτω χῶρον.*

[3]) l. l. p. 29.

sed si alter pes uno verbo, sive spondaico sive dactylico, expletur. Nam sic quasi concidi versum supra diximus (p. 48). Qua de causa et duo monosyllaba longa, etiamsi iam minus offendunt, et duo, quae dactylum efficiunt, verba (cf. I 165 ἔνθα καί. II 360 πῆχυς καὶ θέναρ) vitantur apud Paulum. Monosyllaba illa quinquies dumtaxat repperi in descriptione [1]).

Atque ne quarto quidem in pede umquam apud Paulum aut apud ceteros Nonni sectatores spondaicum verbum ponitur, cui regulae iam Alexandrini obtemperabant. Semel Paulus duo longa monosyllaba in hac versus sede admisit, sed ita, ut nequaquam sub oculos cadat hic spondeus. II 502: τὸ γὰρ καὶ Πρωτέος ἀκταί. Ne clausulam quidem spondaicam vocabulorum plurium syllabarum hic hexametri pes excipit apud Paulum eiusque socios. Sed severius Baumgartenus hanc regulam sic condidit (p. 30): „omnino non admissus est spondeus a Nonnianis ante diaeresim bucolicam"; propterea quod saepenumero hoc loco spondeum legimus; itaque pro spondeo ei dicendum erat verbum spondaicum aut spondeo finitum. Sic quoque hanc regulam exprimere licet: Si spondeus in pede IV. stat, bucolica non admittitur nisi cum semiseptenaria coniuncta.

Sed ne credas his legibus iam satis vinctos esse miros illos artifices versus tornandi, ne ea quidam verba spondaica, quorum prior syllaba in thesi alterius pedis, posterior syllaba in alterius pedis arsi stat, lubenter adhibebant Nonniani. Meyerus (p. 1010) singulorum pedum usum statuit; nec abhorruit Paulus ab his regulis.

Si p r i m u s pes instar spondei est, non saepe (in quinque versibus ex 120, qui spondaice incohantur) prior syllaba verbi spondaici huius pedis thesin efficit. Cf. I, 74 οὐχ οὕτως. Volkmanni lex „si prima hexametri thesis longa est, primus ordo metricus per molossum plerumque efficitur" [2]), ut a Baumgarteno Christodorico refutatur, ita etiam minus valet in Pauli carminibus.

---

[1]) II 310. 575. 581. 583. a. 142.

[2]) l. l. p. 17 et p. 24. Sed iam Merkelius (Progr. Magdeburg. 1844) has constituit leges, de quibus accuratius Volkmannus disseruit.

Idem fit, si secundi pedis thesis longa est; non saepe ea initium bisyllabi spondaici excipit. Ante semiquinariam igitur raro bisyllabum spondaicum ponitur; tum autem saepissime apud Paulum monosyllabum encliticum illam sequitur eamque obscurat [1]). Hoc quoque loco Baumgartenus ambigit de lege Volkmanni, cuius ex arbitratu, si pes secundus spondeum continet, prior versus pars una tantum caesura minore dissecatur. Qua ex lege si trithemimeres, quippe quae non sit caesura minor, excludatur, non habeo, cur dissentiam cum Volkmanno [2]). Trithemimeres enim in his versibus saepius cum alia caesura prioris hemistichii coniuncta est. Sed supervacaneam esse hanc legem puto; nam omnino in priore hexametri hemistichio, sive stat sive non stat secundus spondeus, una caesura dominatur; reliquae enim incisiones maxime particulis aut similibus nullius potestatis voculis (*δέ*, *μέν*, *γάρ*, al.) efficiuntur, quae in initio versus locum tenere necesse est. Neque igitur sentiuntur hae aliae caesurae. Frequentissime autem spondeus, si eo utuntur in altero pede hi poetae, aut in medio verbo plurium syllabarum ponitur aut eius thesis initium talis verbi occupat.

Si quartus pes spondeum exhibet, perraro clausula bisyllabi spondaici in arsi V. stat; quinquies quidem apud Paulum, sed semper sequens monosyllabum quoddam tam arte cum antecedenti illo bisyllabo coniunctum est, ut fere unum verbum oriatur [3]).

Syllaba finalis verborum plurium quam duarum syllabarum, quae in spondeum exeunt, apud Paulum saepissime in arsi III. stat, rarius in arsi II. et V.

Postquam de usu caesurarum et dactylorum spondeorumque disseruimus, liceat eandem breviter de Paulo proferre

---

[1]) Ex 541 vv., qui alterum spondeum exhibent, 27 versus (accedunt duo emendati) sic formati sunt; ter duo monosyllaba hunc spondeum efficiunt.

[2]) Hoc autem noluisse Volkmannum ipsis exemplis ab eo prolatis constat. cf. Callim. hymn. I 20. 35 etc.

[3]) Cf. II 34 *πίσυρες γυμνοὶ μέν*. 196 *περὶ πλευράς τε καὶ ἄκρας*. Solo in versu 358 *διὰ πλευρῆς ὑπὲρ ὤμου* hic usus minus bene obscuratur.

observationem, quam de Christodoro explicavit Baumgartenus (p. 27). Quae quia non minus instituitur de dictione utriusque poetae quin etiam ipsius Nonni, satis docet poetas illos, etiamsi severissimas leges in versibus faciundis secuti sunt, tamen id non egisse, ut magna varietate et structurae versuum et verborum hexametros vegetiores redderent. Nam apud Paulum quoque persaepe in binis aut trinis versibus eandem structuram metricam deprehendimus. Ut pauca tantum exempla adferam, quattuor primi carminis versus, deinde vv. 10—16 ex puris dactylis compositi sunt. Eundem pedum et caesurarum usum invenimus in his versibus continuis:

I 88 sq. 166 sq. 192 sq. 235 sq. 245 sq. — II 107 sq. 178 sq. 480 sq. — a. 57 sq. 108 sq. 264 sq. etc. etc. I 248—250: dsddd trith. + caes. III. troch. + bucol. — I 254—256: ddddd diaer. I. + penth. + bucol. — II 281 sq.: dsddd trith. + caes. III. troch. + hephth. + caes. V. troch.

3. Etiam elisionis usum a Nonno eiusque adseclis certis terminis circumscriptum esse alii satis enarraverunt; imprimis Ludwichius, qui diligentissime Nonni singulorumque sectatorum usum explanavit[1]) tabellisque illustravit. Etiam apud Paulum nil nisi coniunctiones aut praepositiones elisas videmus in descriptione; semel verbi elisione usus est Paulus in A. P. epigrammate V 244, 7, ubi in prima arsi verbum *μίμν'* posuit. — *ἴδ'* autem imperativum, qui V 300, 8 in Iacobsii et Duebneri editionibus legitur, eiciendum esse optimo iure contendit Ludwichius[2]), auctoritate codicis Palatini nixus, qui *ἴδες Νέμεσιν* pro *ἴδ' ἐς Νέμεσιν* praebet. Quater pronomina (*μ'* in A. P. V 279, 4. 301, 2. *ὅδ'* XVI 278, 4. *τόδ'* VI 84, 1) Paulus elisit.

Ex praepositionibus et coniunctionibus, quas ita adhibuit, has duas invenimus nec apud Nonnum nec apud sectatores: *ἠδ'* et *ῥ'* (a. 4. 46. 223). Hoc autem nil habet offensionis, nam reliqui quoque imitatores tales licentias sibi indulserunt, ut ex Ludwichii tabella (*Beitr.* p. 30) cognoscitur. *ὅσ'* autem in II 1[3]), quod coniecit Graefius in edi-

[1]) Cf. *Beitr. z. Krit. d. Nonn.* p. 29 ff.

[2]) Cf. Mus. Rh. XLI p. 613.

[3]) II 1: *πάντα καί, ἑσπερίην ὅσ' ἐπὶ κλίσιν, ἰσοφαρίζει.*

tione, omnino est reiciendum, et quia neque Nonnus neque Paulus umquam in descriptione pronomina elisa admiserunt, et quod numquam caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* elisionem patitur. Itaque melius Bekkerus huius versus lacunam sic explevit: *πάντα καὶ ἑσπερίην τις ἐπὶ κλίσιν ἶσα νοήσει* laudato versu II 170:

ἶσα δὲ τοῖς ὑπένερθε καὶ ὑψόθι πάντα νοήσει (sc. *τίς* v. 171).

Et valde confirmatur haec coniectura codice Palatino, in quo Stadtmuellero teste haec leguntur:

πάντα καὶ ἑσπερι . . τις ἐπὶ κλίσιν ἴσ . . . ήσει.

In epigrammatis semel (IX 664, 1) *ἐνθάδ'* vocula occurrit, quam si non Nonnum tamen Triphiodorum et Colluthum adhibuisse Ludwichius edocuit. Suo iure autem emendavit vir doctus (l. l. pag. 613) A. P. V 291, 1 adverbium *ποτ'* codicem Palat. secutus, qui *εἶπον* superscripto vocabulo *μέν* exhibet. Nec minus editionum lectio *τῆλ' ἔθανες* (VII 560, 2) ipso codice refellitur, in quo plane ac dilucide legitur *τῆλε θάνες* [1]).

Elisiones Paulus posuit

a. in arsibus I. II. V.: *ἀλλ'* (20). *οὐδ'* (7). — I. V.: *ἠδ'* (2). — I.: *μηδ'* (1). *ῥ'* (1) A. P.: *ἄνθ'*. *μίμν'*. — II.: *ἔνθ'* (A. P.[2])) — V.: *εἴτ'* (3).

Numquam igitur in tertia arsi i. e. in semiquinaria elisio admittitur atque ne *δὲ* quidem voculae, quae omnes reliquas arses quin etiam quartam occupare potest et usitatissimam efficit elisionem.

b. In thesibus posterioribus multas elisiones deprehendimus in pedibus I. III. V.: *ἐπ'* (17). *ὑπ'* (17). *ἀπ'* (12). — I. III.: *παρ'* (6). *μετ'* (4). *ὅτ'* (3). — I. V.: *τ'* (2). — I.: *ὅδ'*. *τόδ'* A. P. — III.: *κατ'* (12). *δι'* (2). *ἀρ'* (A. P.).

οὔτε semel post primum pedem eliditur in A. P. V 279, 6. Omnino vitatur elisio in posteriore thesi pedis II.; in eadem sede pedis IV., ut in arsi, solam *δέ* voculam adhibitam videmus eamque bis in ambone (41. 84).

---

[1]) Itaque omnino non indigemus apographorum Parisin. aut Salmas. auctoritate, ad quam respexit Ludwichius l. l. p. 612 sq.

[2]) Augendus igitur est Ludwichii conspectus. (*Beitr. p.* 31).

c. Priores theses has solas in descriptione elisiones exhibent: δ', τ', κατ'[1]). — δ' in pede I. et V.; in ambone autem semel (v. 86) in pede IV. et semel etiam in pede II. (a. 151); — κατ' in ambone bis in pede IV., τ' in pede I.[2]) Non miraberis, quod pedis II. theses et posterior et prior elisione vacant, si in memoriam revocaveris, quae supra dixi de hac sede hexametri, quam Baumgartenus (p. 34) delicatissimam nominavit. Numquam elisio in priore thesi pedis III. i. e. in caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* admittitur. Itaque paene nimia esset licentia in A. P. V 272, 5

ἥμισυ γὰρ Παφίῃ, τὸ δ' ἄρ' ἥμισυ δῶκεν Ἀθήνῃ,

nisi hoc loco caesura III. feminina omnino obscuraretur semiquinaria.

Multo rarius igitur priores theses elisionem exhibent quam posteriores; sola vocula δ' saepius in illis legitur. Apud Nonnum etiam praepositiones δι', κατ', μετ', ὑπ' sic adhibentur. τέ autem voculam a Christodoro et Ioanne Gazaeo — mirum dictu — omnino vitatam[3]) Nonnus non elidit nisi in arsibus aut in altera thesi pedis I.[4]) Alienus est ab hoc usu, ut vidimus, Paulus, qui hanc encliticam et in posterioribus et in prioribus thesibus quamvis raro posuit.

4. Omnes fere hiatus, qui obviam fiunt in Pauli Silentiarii hexametris, eiusdem generis sunt, quod inde ab Homero cuncti poetae epici frequentaverunt: diphthongus aut longa vocalis ante vocalem sequentis verbi corripiuntur

a. in posteriore dactyli brevi syllaba.

Inter 185 enim hiatus 176 huius generis in Pauli descriptione invenimus, qui efficiuntur syllabis *αι, οι, ει, ω, η* correptis. — *αι* praecipue deprehenditur cum in verborum formis (82) tum in particula *καί* (85); adiectiva non nisi duo (*ἀθρόαι, ἐναντίαι*) finalem syllabam correptam praebent. — *οι* diphthongo quinquies exsistit hic hiatus: *μοί* (3). *σοί* (1). *ἄντιοι* (1). — Denique syllabas *ει, ω, ἤ* semel Paulus

---

[1]) Cf. etiam Ludwich. Mus. Rh. XXXV p. 500 sqq.

[2]) Cur Graefius II 122 codicis lectionem ἔξ γὰρ ὑπ' αὐτῷ correxerit in ἔξ δ' ἄρ' ὑπ' αὐτοῦ equidem nullus video.

[3]) Cf. Ludwich. *Beitr.* p. 33. Primus de huius particulae usu Nonniano egit Lehrsius qu. epic. IV p. 294 sqq.

[4]) Cf. Ludwich. l. l. p. 22 sqq.

in hac dactyli sede corripuit. *ει* in v. II 246 *περιστέφει ἧκα κλαδίσκοις*. — *ω* in v. II 142 *ἐπισχερὼ εὔποδας οὗτοι*, quocum comparentur Homeri *Λ* 668 *ἐπισχερώ*; *οὐ γὰρ ἐμὴ ἴς*. Cf. etiam *Σ* 68. *Ψ* 125. Apollon. Rhod. IV 451. — *ῃ* in II 459 *ῃ ἁβροκόμοις κυπαρίσσοις*. In epigrammatis quoque huiusmodi hiatus deprehenduntur: V 232, 8 (post pentametri caesuram) *μιμνέτω οἰογάμῳ* cf. VII 609, 4; praeterea XI 60, 8 *εἰξάτω οἷς* et VI 64, 7 *χρόνῳ ἐκκρεμές*.

Atque saepissime quidem hic hiatus a Paulo adhibetur in pede IV. (56)[1]), tum in pede III. (53)[2]), V. (42), I. (23). Secundo autem in pede bis (I 165. II 196) *καί* reperitur in formula *ἔνθα καὶ ἔνθα*, cui hunc proprium locum Nonnus ipse adsignavit. Cf. Dion. 5, 488. 6, 69 al. Qua formula tres illas voculas unum fere in verbum confundente satis excusatur, quod sacer pes secundus hac licentia quasi profanatur.

b. Sed multo rarius hiatus priorem dactyli brevem occupat.

Hoc enim genus, ut in Nonni carminibus solo primo pede recipitur, ita a Paulo bis hoc loco usurpatur in voce *οὕτω* (II 453. a. 200). Ipsa *καί* vocula, cui omnibus fere hexametri locis hiatum admittere licet, bis in priore thesi quin etiam secundi pedis reperitur; duos autem illos locos ambonis descriptioni esse memoratu dignum est (a. 165. 275). Nam saepius eam vidimus asylum, ut ita dicam, earum licentiarum metricarum esse, quibus omnino non patebant duo priores descriptionis libri. Neque vero umquam Paulus in pede V. hoc hiatu utitur, quamquam Nonnus ei quamvis raro hunc quoque locum permisit. — In epigrammatis ter hiatus in priore thesi atque semper in pede IV. admittitur. Cf. V 234, 6. VI 66, 4. 71, 4. *καί* particula in priore dactyli brevi posita saepius hiatum patitur in epigrammatis. Cf. V 286, 9. VII 560, 1. V 301, 3. VII 560, 7 etc.

c. Etiam in arsibus quinquies a Paulo hiatum adhibitum videmus eumque semper in arsi V. Quattuor autem in

---

[1]) Propter vitatam hoc loco caesuram trochaicam IV. *καί* particula omnino non usurpatur.

[2]) Hoc loco plurium syllabarum verba poni non possunt, ut ex usu tertiae caesurae perspicitur.

versibus [1]) ille oritur praepositionibus ἐνί, ἐπί, ὑπό pronomini relativo postpositis, sicut in ᾧ ὑπὸ μούνῳ (I 9). — Accedunt quattuor epigrammatum loci eiusdem generis: V 241, 7. 275, 9. VI 75, 1. 84, 1; adde V 258, 1 ἧ ὀπὸς ἥβης (cf. Christod. 54. 76).

Uno loco hiatus dativum adiectivi sequitur, in amb. v. 131: κίονος ἱδρυθέντος ἐυξέστῳ ἐπὶ βωμῷ; quae verba non esse mutanda in ἐυξέστων ἐπὶ βωμῶν (cf. Scheindler. *Zeitschr. f. ö. G.* 1878, p. 903) ex simillimis cum Homeri tum Christodori aliorumque exemplis perspicuum esse mihi videtur [2]). Cf. Homeri *Π* 402: ἐυξέστῳ ἐνὶ δίφρῳ et *Ω* 271: ἐυξέστῳ ἐπὶ ῥυμῷ, Nonn. D. 38, 278: φυλλοχόῳ ἐνὶ μηνί (cod.), Christod. 1: ἐυγλύπτῳ ἐπὶ βωμῷ, v. 170: ἀψύχῳ ἐνὶ τέχνῃ, v. 177: ἀφωνήτῳ ἐνὶ κόσμῳ. Haec duo Christodori exempla ne Scheindlerus corrigat, ἐνί praepositione prohibetur, quam esse servandam his locis alii et similes Christodori versus docent. Accedit, quod praepositio ἐπί, cum pendeat a verbis ponendi, perpaucis locis exclusis semper cum dativo a Paulo coniungitur; cf. ipsum versum antecedentem (a. 129):

ὄφρα κεν — ἀρηρότι νείοθι κίων
ἴχνος ἐφιδρύσειε βαλὼν περιηγέϊ βωμῷ.

Sed ut hoc strictim tangam, tantum abest, ut eadem fere clausula versus 131 ἐυξέστῳ ἐπὶ βωμῷ unum post versum repetita abhorreat a Pauli usu, ut tales repetitiones lubentissime admittat poeta Nonnianus. Sicut his de causis codicis lectionem tenendam esse puto, ita pluralia ἐυξέστων ἐπὶ βωμῶν cum singulari numero verborum κίονος ἱδρυθέντος coniuncta Scheindleri coniecturae repugnare arbitror; singulae enim singulis in fundamentis positae sunt columnae.

In omnibus his hiatus formis Paulus Nonnum magistrum religiose sequitur, qui hunc quoque usum artioribus terminis circumclusit. Nam sola ea hiatus forma, de qua initio diximus, saepenumero in Panopolitani carminibus occurrit. Multo rarius poeta utitur et altera forma (diphthongus sive longa vocalis in priore thesi corripitur) eaque praeter καί parti-

---

[1]) Cf. vv. I 9. 151. II 260. 427.

[2]) De hoc genere hiatus saepius admisso a poetis Anth. Pal. scite disseruit Iacobsius (A. P. tom. III p. XX).

culam in pede I. rariusque in V., et tertia forma (hiatus in arsi est).

Sed etiam superavit Paulus magistrum severitate in adhibenda quarta forma hiatus. Omnino enim abstinuit hiatu illo, qui efficitur brevi vocali ante pronomina *οἷ* et *ἕ* correpta. Nonnus autem ceterique imitatores non semel eum admittebant (cf. Scheindler. *Zeitschrft. f. ö. G.* 1878, p. 900). Unde sequitur, ut Paulus, quippe qui etiam severior sit hac in re adhibenda quam magister ille morosus, omnino non potuerit uti eis hiatibus, qui ne apud Nonnianos quidem inveniantur. Itaque quattuor illos locos, quibus codex carminis Paulini brevem vocalem ante vocalem sequentis verbi correptam praebet, optimo iure Hermannus et Graefius coniecturis expulerunt. Hisce Pauli locis odiosi illi sunt hiatus: II 106 sq.:

οὔτινα πεύκην
οὐκ ἐλάτην ἐνόησεν ἐπαρκέα οἶκον ἐρέψαι.

Hermannus ἐπαρκέας scribi voluit (cf. Orph. p. XXVI).

II 352: νήματα ποικιλόμορφα, ἃ βάρβαρος ἤροσε μύρμηξ. Hermannus l. l.: ποικιλόμορφα τά κτλ. Haec quoque coniectura admodum probabilis esse mihi videtur comparanti v. I 276:

λεπταλέαις ὑάλοις κεκαλυμμένα, τῶν διὰ μέσσης,

ubi eodem modo hiatus ille odiosus forma *τῶν* pro *ὧν* adhibita vitatus est.

Deinde in amb. v. 59 codicis lectionem *ἄλλοθι ὁρμηθεῖσα*, quae a Graefio *δ'* intermisso emendatur, rectius, ut puto, Volkmannus[1]) comprobante Scheindlero sanavit, cum *ἄλλοθεν* scriberet, quam formam ante vocales, velut *ἄλλοθι* ante consonantes, Nonni imitatores frequentasse constat[2]).

Neque minoris offensionis est hiatus, quem in amb. v. 270 legimus:

πολυστέπτοις δ' ἐπὶ δώροις
καὶ σέλας ἀστυόχοιο ἑῆς ἀνέθηκε γαλήνης.

Quem hiatum etiamsi ab Homeri usu et propter ipsam vocalis *ἑ* naturam et propter caesuram tertii pedis non recedit, tamen a Paulo omnino esse abiudicandum puto. Atque

---

[1]) Volkmann. l. l. in cap. VI (p. 32 sqq.) de hiatu egit.

[2]) Cf. Paul. II 554 ἄλλοθεν ἄλλη. II 387 ἄλλοθι μέν.

facile eum Graefius explevit sola *ν* littera intermissa; itaque *νέης* — *γαλήνης* legendum est; comprobavit hanc coniecturam Scheindlerus. Sed ne Scheindlero auctore haec verba ad restitutionem atque amplificationem ecclesiae in seditione Prasinorum incendio deletae spectare putemus, prohibemur eis, quae supra (p. 2 sq.) satis exposuisse mihi videor. De sola altera restitutione hoc loco cogitari potest. Sed dubito, an non his verbis de clementia atque gratia illa dicatur, qua permotus imperator denuo templum consecraverit. Nam haec postremos carminis versus velle existimo: Talia opera imperator deo exstruxit, coronatis autem donis splendorem novae clementiae adiecit supra aedem celebratam, ut donum sane vivum regi mundi conderet. Accedit igitur *γαλήνη* illa ad ipsum aedificium. Itaque si *νέης γαλήνης* scribitur, dixit poeta clementiam imperatoris, ex qua ipsa aedificatio orta esset, non esse finitam simul cum templo exstructo, sed denuo eam urbi saluti esse; nova igitur est gratia. Verum ipse concedo non postulari sensu hanc coniecturam. Sed quia nequaquam ab eo abhorret, me quidem eam praeferre confiteor; nam sic odiosus ille hiatus vitatur, quem ut excusemus, ne hac quidem re inducimur, quod in ipso ambone haec verba locum suum tenent, etiamsi in hac tertia carminis parte non semel licentias quasdam metricas deprehendimus [1]).

5. De brevium syllabarum finalium productione.

Etiamsi hexametri licentias, quas adhuc exposuimus, in Nonni eiusque imitatorum carminibus observare et certis legibus circumscribere multis et doctis viris curae fuit haud ita exiguae, ad nullas tamen artis Nonnianae leges constituendas maiores labores impenderunt, quam ad eas, quae sunt de usu brevium syllabarum in fine verborum productarum. Praecipue Hilbergii dissertatione, cui inscribitur

---

[1]) Fortasse recte Stadtmuellerus monuit, ne celerius comprobaremus Graefii coniecturam, quam audaciorem putat comparato ep. Anth. Plan. 64, 3:

ὄφρα καὶ ἐν λιμένεσσιν ἐὴν πετάσειε γαλήνην·

Quamquam huius epigrammatis poeta incertus hiatum illum omnino non vitavit. Cf. v. 2 *ἄγαλμα Ἰουστίνῳ*.

Das Princip der Silbenwaegung, quamquam iam antea alii de hac re egerunt, factum esse mihi videtur, ut leges de hoc Nonni usu compositae denuo examinarentur et aliae aut amplificarentur aut modificarentur, aliae omnino refutarentur. Imprimis Scheindlerus et Baumgartenus nec non Aloysius Rzach hac via Hilbergium secuti sunt. Equidem, si Pauli Silentiarii usum uberius explanaturus sum, spero fore, ut pro meis viribus hanc quaestionem aliquantulum promoveam; nam quo saepius singulorum poetarum Nonnianorum usus observatur, eo certius universam legem constitui posse existimo.

Hic quoque sequar ordinem, quem Baumgartenus in dissertationis p. 36 sqq. praeivit, ita ut primum dicam de brevibus syllabis finalibus in arsi productis, distinguam autem vocabula monosyllaba et disyllaba et trisyllaba, praeterea ea, quae aut brevi vocali clauduntur, aut exeunt in *αι* et *οι*, aut unam consonantem quasi terminum habent. Singulis ordinibus usum earum syllabarum finalium adiciam, quae natura longae sunt, ut aptius comparandi facultas exsistat. Baumgarteni autem observationibus ad Christodorum spectantibus utar, quotiescunque dabitur occasio.

Confinia vocabulorum producuntur apud Paulum Silentiarium (numeri ad solam ecphrasin respiciunt):

A. in **arsi**

I. in monosyllabis,

a. quae brevi vocali terminantur,

in pede	I	II	III	IV	V	VI
	12	—[1])	1[2])	1[3])	—	

δέ, τέ, ὁ

[1]) Numquam brevis vocalis in semiquinaria producitur. cf. Tiedkium qu. Nonn. sp. § 2.

[2]) a. 107: *ἐς Νότον ἐς Βορέην τε· τὸ δὲ σπέος εἴκελον οἴκῳ.* Saepius Nonnus sic voculis *ὁ δέ, τὸ δέ* inter se coniunctis utitur.

[3]) II 529: *ὁ πρὶν ἐέργων.* Cf. Christod. 24. 97 (*ὁ πρίν*), et quae Baumg. explicaverit p. 37. cf. etiam Nonn. 34, 56. *τὸ πρὶν ἀμείψας.*

b. quae in *αι* aut *οι* exeunt,

in pedę	I	II	III	IV	V	VI
	53	18	1[1])	—	9	—

[1]) I 106: *οὐ γὰρ, Ἄναξ, εἰ καί σε καταπτήσσουσι κτλ.* Perraro apud Paulum monosyllabum in arsi III. stat, id quod apparet e lege

de usu spondaicorum verborum supra condita (p. 50). Sed hoc loco *καί σε* unum fere vocabulum est.

c. quae una consonanti finiuntur,

in pede	I	II	III	IV	V	VI
	31	47	1 [1]	5	—	2 [2]

[1]) a. 72: *ἀμφιθέει · πῇ μὲν γὰρ ἐπέρχεται.* Hoc loco rarus usus fortasse anaphora excusatur, quae sequitur in v. 74 *πῇ δέ.*

[2]) De monosyllabis in ultimi pedis et arsi et thesi positis infra dicam.

d. Multo saepius inveniuntur monosyllaba, quae natura longa sunt,

in arsi	I	II	III	IV	V	VI
	121	39	1 [1]	13	48	—

[1]) a. 29: *λᾶας ἑείς · οὐ μὴν περιηγέϊ.* Cf. b. adn. I. Iterum memoratu dignum mihi videtur, trium illorum versuum, quorum tertia arsis monosyllabo efficitur, duos inesse in ambonis descriptione.

II. Disyllaba autem, quae producta finali syllaba in hexametro usurpantur, natura aut pyrrhichia aut trochaica sunt. Producuntur a Paulo

1. pyrrhichia,

a. quae brevi vocali terminantur,

in arsi	II	III	IV	V	VI
	11 [1]	— [2]	35 [3]	— [4]	—

[1]) Paulo liberior hic usus Pauli est quam Nonni et Christodori. Occurrunt enim praeter praepositiones solas ab his poetis admissas haec quoque vocabula: *ὅδε, ὅτε, ὅσα, δύο, βαθύ, μίγα, πολύ, ἴσα.*

[2]) Cf. p. 60 a. adn. I.

[3]) In 24 vv. muta et liquida positionis causae sunt.

[4]) In pentametri arsi V. talem syllabam finalem productam inveni in A. P. V 244, 6. *μέλι στομάτων* et 250, 6 *κατὰ στομάτων.*

b. quae exeunt in *αι* aut *οι*,

in arsi	II	III	IV	V	VI
	1	—	6	—	—

c. quae una consonanti finiuntur,

in arsi	II	III	IV	V	VI
	40	—	99	—	—

d. vocabulorum iambicorum syllabae finales ponuntur

in arsi	II	III	IV	V	VI
	73	6 [1]	177	—	—

[1]) Hac in re observanda prae ceteris Nonnianis Paulus severus erat, ut paene vitasse eum in semiquinaria vocabulum iambicum dicamus.

Sunt autem hi versus: I 123 ἔργον ἔην. 206 λαὸς ἅπας. II 147 ἐστὶ πύλη. 362 βίβλον ἔχων. 540 ὅσσον ἔρως. Versum II 270, ubi in Graefii editione legitur οὐδὲ μὲν οὐδὲ μόνοις excludo, quia in codice Palat. οὐ μόνοις stat. Itaque coniecturam, quam Graefius in adnotatione protulit, οὐ μούνοις praeferendam esse duco. In omnibus autem his versibus vocabulum trochaicum antecedit iambico, sicut eadem ratione apud Nonnum est. Cf. Meyer. l. l. p. 1004 sqq.

2. In trochaicis vocabulis*),

a. quae brevi vocali terminantur, numquam Paulus ultimam produxit in arsi; ergo hac quoque ex parte Nonnum sibi exempli instar proposuit. Atque ne Christodorus quidem hanc productionem admisit.

b. Ultimam trochaicorum verborum, quae in αι aut οι exeunt, longam exhibet Paulus

in arsi	II	III	[IV]	V	[VI]
	—	1	—	1	—

Hac igitur productione apud Nonnum eiusque pedisequos rara Paulus bis in uno eodemque versu utitur. Vitatam eam esse Hilbergius (*Princip d. S.* p. 173) commemorat; sed tamen ipse versus nonnullos adiecit, in quibus Nonnus hanc productionem adhibuit, velut 24, 218: εἰσὶ νόθοι ταῦροί τε. 2, 170. 7, 106 al. Apud Paulum haec longa syllaba in arsi quidem quinta quasi absconditur sequenti μέν vocula (II 34 γυμνοὶ μέν); altero eiusdem versus loco verbum anapaesticum πίσυρες spondaicum τοῖχοι excipit. Christodorus semel δοιοὶ δέ verba in arsi III. exhibet. Cf. Baumg. p. 39. Ut arsis IV. exclusa sit, ex eo sequitur, quod Paulus numquam spondeum in tertio pede passus est.

c. Ultima eorum trochaicorum verborum, quae una consonanti finiuntur, longa fit

in arsi	II	III	IV	V	VI
	1 [2])	2 [1])	— [3])	—	—

[1]) Duo loci (II 599. a. 30), ubi talis disyllabi syllaba finalis in arsi III. stat, etiamsi hoc raro invenitur apud imitatores Nonni, tamen postposita δέ vocula satis excusantur. Ipse Nonnus, si recte numeravit Hilbergius (p. 127), ter verbum πρῶτον ita productum exhibet (5, 69. 22, 187. 30, 296). — De versu I 269, cuius lacunam Graefius ita explevit, ut talis productio fiat, ἠερίην θεῖσαν [τύπον Ἴριδος], nil dicere licet.

*) Hilbergius de horum verborum usu accuratius disseruit in libello, cui inscribitur *Das Gesetz der troch. Wortformen. Wien* 1878.

²) Magis fortasse offendit Pauli v. II 288: οἷς κύρτος νεπόδων κτλ., sed ne huius quidem usus desunt exempla Nonni, quamvis rara. Cf. 2, 473: οὐδ' ὑγρὸν σκοπιαί. 13, 73: οἵ τ' εἶχον πυμάτην etc.

³) Hac in arsi IV. producitur disyllabum in A. P. V 279, 3: πυρσὸς συναπέσβετο.

d. disyllaborum spondaicorum ultima ponitur

in arsi	II	III	[IV]	V	[VI]
	5	27 [1])	—	4 [2])	—

Cf. p. 51 sq.

¹) Ad. v. II 270 cf. pag. 62. In amb. v. 24 falso legitur in codice ὄρθιος βάθροις, quibus pro verbis melius scribi ὀρθάδιος βάθροις quam ὄρθιος ἐν βάθροις recte commemoravit Graefius. Nam tertiam eius coniecturam ὀρθωθεὶς βάθροις propter continuos spondeos missam facimus.

²) Apud Christodorum hac in arsi finalem syllabam spondaici verbi invenimus in v. 100 (στέρνων), quem Baumgartenus neglexit.

Trochaicorum autem vocabulorum productiones rariores esse, quam eas, quae in pyrrhichiis occurrunt, haud mirabimur perspectis legibus illis admodum severis, quibus usum spondaicorum verborum circumscriptum vidimus. Quem usum iusto artioribus vinculis Scheindlerus (Stud. Vind. 1881, p. 68 sqq.) constrinxit. Huius enim ex arbitratu verbum spondaicum sic adhibitum quasi flagitium putabatur, quod omnibus modis occultandum curassent poetae illi. Caveamus, ne omnia firmis legibus coercendi studio nimis longe abripiamur.

III. Trisyllaborum, quorum ultima producitur, haec sola forma est ⏗ ‿ | ⏖, nam vocabula, quae tribrachi instar sunt, in hexametro quidem produci necesse est; hae autem formae ‿ ‿ | ⏑ aut ‿ ‿ | ⏑ omnino abhorrent a metro dactylico.

Huiusmodi igitur trisyllaba ⏗ ‿ | ⏖,

a. si brevi vocali terminantur, et Nonnus et Christodorus et Paulus numquam longa finiri sinunt.

b. Si exeunt in αι aut οι, producuntur

in arsi	II	III	[IV]	V	[VI]
	1 [1])	2 [2])	—	—	—

¹) I 179: ὑμνῆσαι. Apud Nonnum quidem persaepe talia inveniuntur, semel apud Christodorum in v. 75 (γυμνῶσαι).

²) Hilbergius initium tantum versus his trisyllabis patere contendit (p. 171 sqq.). Sed ipsi loci sunt adferendi, ubi Nonnus hanc productionem in arsi III. admisit: 8, 349. 37, 110. 39, 209. E*) 57. 65. Quos aut mutata positione verborum aut alio modo e textu expellere

*) Sic libri paraphraseos evangelii Ioannei a Nonno compositae significari solent.

an non permissum sit, equidem dubito; neque probavit Hilbergium Scheindlerus (Stud. Vind. 1881. p. 74). Etiam Christodorus hanc syllabam finalem produxit in arsi III.

c. Trisyllaba, quae una consonanti clauduntur, longam exhibent finalem syllabam:

in arsi	II	III	[IV]	V	[VI]
	1 [1])	1 [2])	—	1 [3])	—

[1]) Haec productio saepius occurrit apud Nonnum, etiam apud Christodorum in duobus versibus (225. 236).

[2]) Contra perrara ea est in arsi III.; hoc vero Pauli loco (I 61 *Τελχῖνας*) nomine proprio excusari mihi videtur.

[3]) Huiusmodi productionis in arsi V. admissae tria exempla Nonni Hilbergius (p. 127 sq.) nobiscum communicavit.

Multo saepius Paulus Nonno duce ea trisyllaba adhibet, quorum ultima

d. natura longa est. Horum syllabae finales stant

in arsi	II	III	[IV]	V	[VI]
	32	25	—	4	

Rarius, ut ex numeris cognoscimus, Paulus tales syllabas finales in arsi V. quam in arsi II. aut III. posuit, Nonni exemplum secutus. Qua re Nonniani prohibebant, ne versus ad finem properans nimio retardaretur, id quod molossicis vocabulis in fine positis effici concedetis.

Haec de syllabarum finalium, quae occurrunt in hexametri arsibus, productione. Qua multo rariorem esse nunc videbimus productionem

B. in **thesibus** factam. Producuntur enim

I. monosyllaba*),

a. quae brevi vocali terminantur

in thesi	I	II	[III]	IV	[V]	VI
	—	1 [1])	—	—	—	—

[1]) I 136: *κεῖνος ἀνὴρ τὰ πρῶτα.* De uno hoc loco, quo Paulus tale monosyllabum in thesi longum admisit infra disserere liceat, quia haec productio muta et liquida orta est. — Praeterea locum adnotavi ex A. P. X 76, 1 *οὐ τ ὸ ζῆν.* Hac productione augetur multitudo exemplorum, ex quibus satis apparuit Paulum in epigrammatis sibi indulsisse licentias omnino non permissas in descriptionis versibus. Cognoscimus

*) De monosyllaborum productione apud Nonnum eiusque imitatores in thesi facta copiosius disputaverunt Aug. Scheindler (*Zeitschr. f. ö. G.* 1879, p. 424) et Arth. Ludwich (Mus. Rh. XXXV p. 506 sqq.).

enim ex tabella uno illo loco excepto numquam Paulum hanc monosyllabi productionem intulisse. Quae quod in thesi III. et V. deest, in his hexametri sedibus Paulum sprevisse spondeum supra vidimus.

b. quae exeunt in *αι* aut *οι*

in thesi	I	II	[III]	IV	[V]	VI
	3	16	—	13	—	—

His locis semper *καί* vocula in thesi stat.

c. quae una consonanti finiuntur,

in thesi	I	II	[III]	IV	[V]	VI
	1 [1]	3 [2]	—	[1] [3]	—	—

[1]) II 383: *πῇ μὲν νουσαλέων κτλ.*, quae ad verba per anastropham spectant *πῇ δέ* in sequenti versu. Nonnus saepius hoc loco particulam *μέν* produxit. Cf. exempla a Scheindlero (*Ztschr. f. östr. Gymn.* 1879, p. 423) commodata. In A. Plan. 277, 1 idem legi (*σὸν μὲν κάλλος*).

[2]) II 28. 285. a. 19. In hac versus sede *τίς, πρίν, γάρ* voculae in thesi stant. Nonnus bis pronomen *ὅς* hoc loco produxit; eum minus severum fuisse in paraphrasi Scheindlerus l. l. demonstravit. Accedunt duo epigrammatum loci XVI 118, 1 (*μέν*). VII 604, 5 (*γάρ*).

[3]) Semel (*N* 1) Nonnus in thesi IV. *πρίν* voce ita usus est. Excusatur hic locus anaphora. Propter usum tam rarum adsentiar Scheindlero, qui *ἐς* voculam, in hoc Pauli versu (I 239) longam usurpatam, in *εἰς* mutat; fortasse enim *ἐς* in arsi V. proximi versus posita (240: *ἐς δύσιν ἕρπειν*) librarium ad hunc lapsum adduxit.

d. monosyllaba, quae natura longa sunt, invenimus

in thesi	I	II	[III]	IV	[V]	VI
	9	10	—	7	—	—

II. Disyllaborum ultimas syllabas — in hoc capite cum solis verbis trochaicis nobis res erit — in thesi primi tantum et extremi pedis producere licet. Cf. legem illam Nonni supra (p. 50) sic constitutam: numquam vocabulum spondaicum alium pedem nisi primum aut sextum explet. De spondaicis autem verbis in fine hexametri positis infra dicendum erit; hoc quidem loco de eis solis disseramus, quorum ultima in primi spondei thesi stat. Ergo producitur ultima disyllaborum,

a. quae brevi vocali terminantur, bis: I 253 *γλυπτὰ χρυσεότευκτα* et II 183 *μηνὶ χρυσοχίτωνι*. De his autem versibus, quia muta et liquida brevem vocalem secuntur, infra agetur.

b. quae exeunt in *αι* aut *οι*, bis: I 229 *αὐτοί που* et 244 *στικτοί*. Quibuscum locis comparandus est Christod.

v. 339 (*δοιαὶ μέν*), ad quem quod Baumgartenus numquam Nonnum talia verba in thesi I. collocasse adnotat, hanc adnotationem non quadrare ad paraphrasin concedes; nam in v. *H* 159 talem repperi productionem (*ἄλλοι*).

c. quae una consonanti finiuntur, ter: II 360 *πῆχυς*. 366 *τρητός*. a. 66 *τοῖος*; quibus versibus nonnulla epigrammatum exempla addam: V 274, 5 *τοῦτον*. — VI 54, 5 *βραγχόν*. — 64, 1 *γυρόν*. — 84, 4 *χερμάς*. — 84, 7 *θεσμόν*.

d. Disyllaba, quae natura longam habent syllabam finalem, primum pedem explent in 60 versibus, secundum vero in uno illo ambonis v. 181 supra commemorato (p. 50).

III. Trisyllaba huius tantum formae ⏑ | ⏗ ⏓ in thesi producere licet; nam – | ⏗ ⏓ forma propter vitatos apud Paulum continuos spondeos locum habere nequit. Illa autem productio, quamvis ei secundi pedis thesis pateat, in descriptionis versibus non invenitur (cf. quae dixi de vitata in universum altera diaeresi p. 47 sq. et 50 sq.); quartus pes eam non exhibet, quia numquam in thesi confinium spondaicum admisit (cf. p. 51).

His igitur ex tabellis, in quas omnes receptae sunt productiones syllabarum finalium, idem de Paulo apparet, quod Baumgartenus (p. 43) de Christodoro statuit: Multo saepius a Nonno eiusque discipulis syllabae finales natura longae usurpatae sunt, quam positione productae. Sed quamquam suo iure Hilbergii varias leges in unam coartare conatus est vir doctus, tamen aliquantulo diligentius eam exprimendam esse existimo. Nam cum dicat: „Nonniani breves syllabas finales, quas in arsi et spondaica thesi multo rarius quam natura longas admittebant, ita pensabant, ut numquam fere vocali finitas producerent, saepius in *αι* vel *οι* exeuntes, saepissime eas, quae consonanti finirentur", haec lex nimis vaga mihi quidem videtur. Nil enim dicitur de monosyllaborum usu liberiore; praeterea interesse aliquid inter arsin et thesin concedetis. Itaque de Paulo quidem Silentiario hanc legem condere malo, quam etiamsi minus simplicem esse quam Baumgarteni haud ignoro, tamen accuratius severum huius poetae usum descripturam esse spero.

In arsi ex his vocabulis, quae brevi vocali clauduntur, monosyllaba tantum et vocabula pyrrhichia in pede II. et IV., numquam in III. producuntur (semel tale monosyllabum in arsi V. stat);

quae exeunt in *αι* et *οι*, et quae una consonanti terminantur, ultimam producunt frequentissime in arsi II. et IV. (raro in III. et V.), monosyllaba in omnibus pedibus. Sed multo saepius vocabula pyrrhichia quam trochaica aut trisyllaba producuntur propter severas leges spondaicas.

In thesi autem monosyllaba in pede I. et II., quin etiam in pede IV. producuntur; vocabula trochaica in solo pede I., sed fere numquam, si exeunt in brevem vocalem.

6. Iam de productione illa, quae muta et liquida efficitur, dicendum est. Horum enim consonantium coniunctionem alius cuiusdam ponderis esse quam ceterorum consociationem eaque oriri debilem, quae dicitur, positionem omnibus notissimum est. Nunc autem de syllabis non solum in confiniis verborum, sed etiam in ipsis verbis ita productis nobis disserendum erit.

Ad hunc Nonnianorum usum tractandum qui adgreditur, eum proficisci oportet a lege saepe laudata Arthurii Ludwich, quem non semel optime de Nonni arte metrica meritum esse constat. In symbolae criticae p. 13 haec fere dixit vir doctus: syllaba m. et l. producta non stat in thesi, sed ictum versus eam accipere necesse est et ante monosyllaba aut disyllaba et in ipsis monosyllabis disyllabisque. Quae lex a Scheindlero in quaest. Nonn. I p. 15 sqq. (progr. Gymn. Brunnens. 1878) multis exemplis corroboratur, quin etiam, quoad spectat ad syllabas finales, accuratius constituitur hisce verbis (p. 21): „muta et liquida in initio verbi positae brevem syllabam non producunt, nisi in arsi pedis I. vel II. vel IV“. His autem in pedibus haec sola verba produci dicit Scheindlerus (p. 21), quae cum sequentibus artissime cohaereant. „Nec causa incerta est; nam productio his locis sublevatur caesuris (caes. troch. III. et bucol.); quibus cum interrumpatur versus flumen, efficitur, ut et quae caesurae antecesserunt, et quae secuntur, uno quasi spiritu contineantur eaque re verba, quae iam natura inter se conexa et copulata sunt, ita quasi coagmententur,

ut muta cum liquida sicut intra verba ipsa antecedentem syllabam producant necesse sit.“ Hanc opinionem, cui etiam Rzachius et Ludwichius adstipulantur, ad Pauli quoque artem metricam pertinere expertus sum.

Nam si primum quidem huiusmodi productiones, quae

A. in confiniis vocabulorum sunt, contemplamur, Paulum eas adhibuisse videmus

a. in arsi saepissime pedis IV. (26), rarius II. (13), semel V. — Ut epigrammatum usum addam, hanc productionem inveni in arsi II. (13), IV. (5), I. (4), V. (1). — Trisyllaba formae ⏑ ⏑ ⏓ bis in descriptione (II 245. 272), saepius in A. P. epigrammatis ultimam sic producunt. In quinta hexametri arsi, quamquam ea hac productione vacare solet, tamen eandem semel in descriptione (II 529) et semel in epigrammatis (V 234, 3) eisdem deprehendimus in verbis (ὅ πρίν) atque in duobus Christodori versibus (24. 97) et in uno ipsius Nonni (34, 56 τὸ πρίν); arta coniunctione monosyllaborum hoc satis excusari Scheindlerus comprobavit. (*Zeitschr. f. ö. G.* 1879, p. 428).

Maior pars ceterarum productionum praepositionibus arte sequenti substantivo adligatis efficitur (cf. I 56 ἐπὶ χρόνον). Reliqua autem verba, etiamsi cum sequenti vocabulo minus arte cohaerent, quam Scheindlerus postulare videtur, tamen uno excepto versu I 273:

ὑψόθεν ἀντέλλουσα μία, τρισσοῖσι δὲ κόλποις
νέρθεν ἐπεμβεβαυῖα

semper sensu proximis adnexa sunt. Quod cum etiam in Nonni exemplis a Scheindlero enumeratis observetur, equidem non tam artissimam ipsorum duorum verborum sodalitatem, ut ita dicam, quam totum conexum vocabulorum et sensu inter se cohaerentium et tertia caesura ab altero hemistichio seiunctorum condicionem existimem adhibendae huius productionis.

Multo autem rarius syllabas finales m. et l. productas videmus

b. in thesi. Nam ut ex toto Nonni carmine non plus quam sex loci (4 in pede II.) congesti sunt (a Ludwichio l. l. p. 12 et a Scheindlero qu. Nonn. I, p. 20), ita Paulus tria

exempla huius productionis exhibet. Semel enim monosyllabum ita produxit in thesi II. versus I 136 κεῖνος ἀνὴρ τὰ πρῶτα; eandem positionem debilem Nonnus ipse adhibuit 10, 427 δέκτο νέος τὰ πρῶτα. Cf. etiam 33, 32 et M 70: τὸ πρόσθε et Homerici usus exempla a Scheindlero (*Ztschr. f. ö. G.* 1879 l. l.) et a Ludwichio suppeditata, sicut *Α* 6. *Η* 412 al. Accedit unus epigrammatum Paulinorum versus loco modo laudato persimilis, V 230, 3 τὸ πρίν in pedis II. thesi.

Sed prorsus contrarii sunt Nonni usui duo loci, quibus disyllaborum brevis ultima in primi pedis thesi m. et l. sequentis verbi longa fit. Sunt autem hi: I 253 γλυπτὰ χρυσεότευκτα. II 183 μηνὶ χρυσοχίτωνι. Nimirum hi loci, qua sunt paene inaudita licentia, iam temptati sunt a viris doctis, qui de his quaestionibus metricis scripserunt. Ipse Hilbergius (*Princip d. S.* p. 38) primus, nisi fallor, eos de medio tollere studuit; alterum (II 183) ea coniectura, qua ne iusto saepius usus sit, valde vereor. Mutato enim vocabulorum ordine pro verbis:

ὁππότε λαός
μηνὶ χρυσοχίτωνι θεοῦ κατὰ μύστιν ἑορτήν
ἐννυχίοις ἄχραντον ἀφύσσεται ἄγγεσιν ὕδωρ,

scribi voluit ὁππότε μηνί | λαὸς χρυσοχίτωνι. Aliam coniecturam Scheindlerus (*Ztschr. f. ö. G.* 1879, p. 436) proposuit, cum legi vellet μήνῃ χρυσοχίτωνι hac addita causa: *„Du Cangius erklärt comm. 22. p. 79 „Im Monate der goldenen Gewänder, nämlich im Januar, in welchem die Consuln in goldgestickten Kleidern ihr Amt antraten.“ Wie aber das Schöpfen des heilkräftigen Wassers mit dem Januar zusammenhängen sollte, ist ein Rätsel. Wenn wir aber μήνῃ χρ. schreiben, so gewinnt die ganze Erzählung ein anderes Gewand. Beim Vollmond, also wenn der Mond im goldenen Gewande strahlte, schöpfte man das heilkräftige Wasser.“* Cui coniecturae haec obstare mihi videntur. Accepto vocabulo μήνῃ omnino non significatur dies festus, quo incolae Byzantii hoc more utebantur. Nam ex verbis θεοῦ κατὰ μύστιν ἑορτήν ille perspici nequit. Sed prorsus neglexit vir doctus verba Ioannis Chrysostomi [1]), quibus quasi adminiculis innixus Du Cangius

[1]) Cf. Patrolog. Graec. ed. Migne tom. XLIX p. 365 sq.: αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ἡμέρα (sc. ἐπιφάνεια), καθ' ἣν ἐβαπτίσατο καὶ τὴν τῶν ὑδάτων

locum illum explicavit. Dicit enim ille in oratione de baptismo Christi sacro Epiphaniorum die habita eo ipso die aquam miraculosam hauriri. Hic autem dies festus additis verbis *μηνὶ χρυσοχίτωνι* satis a Paulo declaratur, quae cur ad Ianuarium spectarent, Du Cangius sic optime exposuit: „huic autem mensi fortassis id epitheti tribuit Silentiarius ob rogas [1]) magistratuum aut xenia et strenas, quibus donabantur ipsique adeo principes; vel certe quia eo mense magistratum inibant consules et *χρυσοχίτωνες* in publicum procedebant. Dicitur enim Ianuarius *μὴν ὑπάτων*.“ Itaque servanda sunt codicis verba.

Alterum quoque locum molestum, I 253 *γλυπτὰ χρυσεότευκτα*, Hilbergius exterminare e textu conatus est interiecta *τέ* particula: *γλυπτά τε χρ.* Rectissime autem Scheindlerus l. l. monet *τέ* voculam et omnino alienam esse ab illius loci contextu et perraro esse usurpatam a Nonnianis (cf. supra p. 55). In codice autem *γλυπτα* non *γλυπια* (Graef.) legi Stadtmuellerus testatur. Quam lectionem esse tutandam equidem censeo.

Itaque concedamus Paulo duos locos, quibus omnino defecit a societate cum Panopolitano facta. Hanc autem productionem utroque loco in primo versus pede, qui per se maiore licentia utitur, et ante litteras *χρ* adhibitam esse commemoratione haud indignum mihi videtur.

B. In i p s i s v e r b i s muta et liquida positionem faciunt

a. in a r s i uniuscuiusque pedis. Nempe non excipiuntur disyllaba arsi IV. aut propter vitatam caesuram troch. IV. aut propter odiosum quartum spondeum.

b. in t h e s i quater apud Paulum in disyllabis semperque in thesi pedis II. Quattuor igitur in versibus recedit ille a Ludwichii lege supra commemorata.

Ut singulos hos locos perlustremus, in v. II 129 positionem illam reperimus in voce *πέτρης* (*Θεσσαλίδος πέτρης*);

ἡγίασε φύσιν· διά τοι τοῦτο καὶ ἐν μεσονυκτίῳ κατὰ τὴν ἑορτὴν ταύτην ἅπαντες ὑδρευσάμενοι οἴκαδε τὰ νάματα ἀποτίθενται κτλ.

[2]) Rogae sunt donativa honoraria magistratibus data. Cf. Du Cangii gloss. VII, p. 204.

nec caret hic locus exemplo Nonni, nam idem vocabulum ita usurpatum occurrit in Dion. v. 2, 374. Cf. etiam 1, 458 (*φάτνης*), quibus in versibus rarum hunc usum eo excusari Scheindlerus Ludwichio duce (*Beitr.* p. 10) opinatur, quod idem vocabulum in clausula versus ita repetatur, ut prima syllaba in arsi stet; cf. 2, 374:

καὶ πέτρην προθέλυμνον ἐπασσυτέρῃ θέτο πέτρῃ.

Hunc autem lusum metricum Nonno in deliciis fuisse exempla a Scheindlero (p. 63) adposita docent.

Ceteros Pauli locos in ambone legi non omittam enotare propterea, quod iam saepius in hac parte descriptionis liberiorem poetae usum cognovimus. In pedis II. thesi bis (a. 24. 97) vox *βάθροις* occurrit, semel (v. 28) *κύκλῳ*.

A. P. epigrammata septem huius positionis exempla praebent, quorum 5 eam in pede II. exhibent; semel pedis I. thesis ea productione insignis est.

In verbis, quae plures quam duas syllabas habent, positio debilis saepius admittitur in thesi pedis II. (44), rarius in thesi pedis IV. (21); eadem de epigrammatis commemoranda sunt. Inveniuntur autem apud Paulum horum verborum tres dumtaxat formae: ⏓ | ⏒ ⏑, ⏒ ⏓ | ⏒ ⏑, ⏓ | ⏒ ⏑ ⏑, quarum prima producitur in thesi pedis II. et IV., altera in pede II., tertia in pede IV.

Ex Pauli igitur non minus quam ex Nonni et ceterorum Nonnianorum usu plane apparet, quantopere deminuta sit vis mutae cum liquida coniunctae. Nam ne apud nostrum quidem poetam admittitur haec positio nisi arsis vi sublevata exceptis perpaucis locis, quibus ipsa regula, si vera docet vetus illud proverbium, etiam corroboratur.

Sed ut huius positionis usus inde a Nonno certis et angustissimis finibus circumscriptus erat, ita eam nelegere, quo quisque vellet loco, omnino non licebat Nonnianis. Itaque etiam correptio attica, quae omissa productione ante mutam et liquidam oritur, legibus quibusdam adstricta est. Qua quomodo inde ab Homero usi sint poetae epici, princeps exposuit Godofr. Hermannus in praestantissimo Orphicorum libro. Sed priusquam de huius viri opinione disseram, quam praebuit de Nonno et Paulo, ipsius Pauli usum demonstraturus sum. Hic quoque agendum est de

correptione attica et in confiniis verborum et in ipsis vocabulis adhibita.

a. In confiniis verborum eam deprehendimus

1. in priore dactyli brevi maxime pedis III. (22), tum pedis V (20), bis pedis I. — Epigrammata eandem correptionem exhibent in pede V. (2), I. (1), III. (1), quin etiam in pede II. (X 15, 7). Quartum pedem huius correptionis expertem esse videmus propter vitatam hoc loco caesuram trochaicam; quae quia etiam in pede II. perrara est apud Paulum, hac quoque in dactyli sede correptionem att. desideramus excepto illo epigrammatum versu. Eadem de causa in primo quoque pede raro eam reperimus.

2. In posteriore dactyli brevi multo rarius Paulus correptione att. usus est. In 14 versibus ea stat in pede IV., decies in pede I., semel in pede II. (II 462 *ἄντυγος, ἧ περὶ πρέμνον*). — In epigrammatis eam animadverti in pede I. (2), III. (1), IV. (1), V. (2).

Hac quoque in licentia admittenda aliquanto liberius Paulum Nonni artem secutum esse intellegemus, si in comparationem vocaverimus magistri exempla, quae Scheindlerus qu. Nonn. I, p. 24 sqq. diligentissime conquisivit. Apud Nonnum enim 16 versus repperit vir doctus, in quibus solis poeta correptionem att. in posteriore thesi dactyli patitur eamque semper ante nomina propria uno excepto versu 47, 69, in quo Nonnum Maximum (*περὶ καταρχῶν* v. 500) imitatum esse Ludwichius (*Beitr.* p. 111) suspicatus est. Etiam in pedis I. posteriore brevi semel ante nomen proprium Nonnus correptionem admisit (27, 285). — Quos magistri fines numquam excessisse Christodorum Baumgartenus (p. 46) docet. Atque ne apud Colluthum quidem saepius quam semel (v. 213) in altera dactyli thesi correptionem inveni, quae et ipsa ante nomen proprium adhibita est. Contra Triphiodorus etiamsi raro correptione attica usus est, tamen bis eam intulit alteri thesi pedis V. (in vv. 66. 71).

Pauli autem licentias eadem lege excusandas esse arbitror, quam Scheindlerus (l. l. p. 21) Hartelium secutus de adhibenda in priore dactyli thesi correptione ita composuit: caesura si verbum muta cum liquida incipiens a proximo disparatur, correptio attica efficitur. Hac de causa plurimas

animadvertimus correptiones in priore thesi pedis III. et V., quorum caesurae troch. quanta sint frequentia apud Paulum. supra intelleximus Sed cur eadem lex non cadat in correptiones in altera dactyli thesi positas, me quidem nescire confiteor. Paulus hac correptione utitur in pede IV. et I., i. e. ante bucolicam creberrimam et ante diaeresin primi pedis, quae et ipsa usitatissima est (cf. p. 47). Itaque etiamsi Nonnus, qua erat severitate, hanc correptionem omnino paene removit ex hexametro, tamen non erat, cur Paulus in posteriore thesi sibi non proponeret eandem legem sequendam, qua correptio in priore thesi permittebatur. Neque huius Nonni abstinentiae causas quaesivit Scheindlerus, sed totum se adplicavit ad Hartelium, qui in stud. Homeric. I, p. 84 contendit in posteriore dactyli brevi correptionem att. vitatam esse ideo, quod vox, quae a prioris pedis arsi ad sequentis arsin properare studeret, duabus consonantibus post thesin posteriorem positis nimio retardaretur. Huic autem opinioni, quamquam in universum eam non improbo, tamen usus diaeresium, qualem cognovimus ex Nonnianorum poematis, aliquantum repugnare videtur. Bucolicae enim, cuius apud illos poetas frequentiam et vim iam satis comperimus, intervallum quoddam antecedere oportet, non raro ipsa interpunctione plane indicatum. Itaque hanc esse causam, cur Paulus talem correptionem non vitaverit, mihi persuasum est, praesertim cum brevis illa syllaba ante bucolicam posita inter 14 versus sexies interpunctione a muta et liquida proximi verbi segregetur. Cf. vv. I 249. II 155. 400 al. Item in primi pedis diaeresi vim quandam inesse supra p. 47 exposui.

Sed multo maiore cum severitate Paulus Nonnum secutus est in correptione attica

b. in ipsis verbis adhibenda.

Ex toto quidem Nonni carmine quinque verba, quae patiuntur hanc correptionem, enumerata sunt a Scheindlero (l. l. p. 64). Satis excusantur usu Homeri. Sunt enim haec: *Ἡρακλέης, Ἀφροδίτη, ἀλλοτρίον, ἀλλοπρόσαλλα, Ἀμφιτρύων*. Colluthus quoque et Triphiodorus et Christodorus (cf. Baumg. p. 48) in solis nominibus propriis hoc correptionis genere raro usi sunt. Ipse Paulus bis eam adhibuit:

semel Nonnum secutus a. 245 *ἀλλοπρόσαλλα.* Admodum autem aliena ab usu Nonni est correptio in posteriore thesi pedis V. admissa, a. 232 *ἰσοπλεύρους.* Sed haec exempla in ambone occurrunt. Ambonis autem v. 184 initium, sicut in codice legitur: *οὐδὲ μὲν οὐδὲ βάθροισιν* falsum esse puto; semper enim in verbo *βάθρον* Paulus positione utitur in thesi. Cf. a. 24. 97. Praeterea spectes quaeso initia v. II 270 *οὐδὲ μὲν οὐ* et II 287 *οὐδὲ μὲν οὐδ' αὐτῶν.* Verum *οὐδὲ μὲν οὐδέ* verba hoc hexametri loco non obviam fiunt apud Paulum.

Epigrammata tres tales correptiones praebent; semel (VI 75, 1) in nomine proprio: *Ἄνδροκλος, ὤπολλον.* V 281, 2: *ἀμφιπλέκοντι θύρας* (in pede IV. pentametri); quin etiam in disyllabo VII 307, 1: *τί δὲ τοῦτο; πατρὶς δέ μοι κτλ.* in posteriore thesi pedis III.

Contemplantibus autem nobis totum hunc Pauli usum religiose in universum ad Nonni auctoritatem adplicatum haec lex constituenda est: productio m. et l. facta semper locum tenet in ipsis vocabulis plurium quam duarum syllabarum. Itaque Pauli quoque usu demonstratur recte repugnasse Baumgartenum (p. 46 sq.) Hilbergii legi XIV., quam sic fere condidit vir doctus (p. 174): Nonnum in his tantum verbis positionem debilem adhibuisse, 1. quae omissa productione abhorrerent ab hexametro, 2. quae si non producerentur, in nulla alia versus sede poni possent nisi in initio, 3. quibus versus inciperetur.

Eisdem autem observationibus etiam Godofr. Hermanni sententia refellitur, quam ipse Lehrsius impugnavit (quaest. epic. p. 262). Ille enim paucioribus exemplis nixus Nonnum aegre tantum atticam correptionem in clausula verbi admisisse contendit, cum recte vidisset in ipsis verbis eam non deprehendi nisi in perpaucis nominibus propriis. Verum ne de Paulo quidem recte commemoravit Hermannus (Orph. Add. p. XXVII) parcius eum correptione att. uti in priore dactyli thesi; dicendum enim erat in posteriore thesi rarum fuisse hunc usum.

Qua in productione brevium syllabarum ante m. et l. adhibenda cum aliquanto liberiorem magistro Paulum viderimus, eum Nonni severitatem etiam superasse cognoscemus usurpanda in ea productione syllabarum finalium, quae s i n-

gulis liquidis proxima verba incohantibus efficitur. Neque enim umquam Paulus brevem syllabam

a. in fine verbi produxit liquidae sequentis verbi auxilio, id quod Nonnus in pyrrhichiis verbis admisit in arsi IV., quam antecedente caesura III. magnam vim praeter ceteras arses possidere constat. Reliquis in arsibus Panopolitanus hanc positionem non adhibuit nisi in versibus aut formis ex Homero derivatis. De hoc Nonni usu primus egit Scheindlerus (qu. Nonn. I cap. I); post eum autem accuratius hanc rem exposuit Aloysius Rzach in dissertatione, cui inscribitur *Studien zur Technik des nachhomerischen Verses (Sitz.-Ber. d. Wien. Ac.* 1879, tom. XCV, p. 681 sqq.), in qua etiam Pauli ceterorumque Nonni adseclarum usum enarravit. Quo in excolendo una cum Paulo Christodorus et Ioannes Gazaeus morosiores fuerunt quam ipse Nonnus.

b. In mediis autem verbis persaepe Paulus hanc productionem admisit ante litteras ῤ et σ nec non ν geminatas.

Nimirum usitatissimae, ut in carmine epico, eae sunt formae, quae inde ab Homeri temporibus duabus σ litteris scribi solebant, vel dativi pluralis neutrius generis (sicuti *ἐπέεσσι, τεμένεσσι* al.) vel formae verbales (*τανύσσας, πετάσσαι*), pronomina (*ὅσσα*), adiectiva (*μέσσον*), al. Quae productiones sive geminationes saepissime in arsi III. occurrunt. — Sed etiam hae formae a Paulo usurpatae homericae sunt: *περιῤῥυτος, ἀποῤῥώξ, ἀνέσσυται, ἀννεφέλοιο, ἀποῤῥίψαντες, ἐῤῥίζωσε*, quorum tres ultimae in Nonni quoque carminibus leguntur. — Nonnicae hae sunt: *συνέῤῥεον, ἀῤῥαγής, ὑποσσαίνων, πολισσοῦχος*. — Imitatur Paulus Homerum voce *ἁλιῤῥοθίῳ* (cf. ε 430 *παλιῤῥόθιον*), Nonnum verbis *χρυσοῤῥυτος, ποταμοῤῥυτος* (cf. 14, 414 *μελιῤῥυτος*).

Frequentissime liquidae aut σ littera in arsi III. aut in arsi V. geminantur, rarius in arsibus I., VI., IV., II.

In thesi bis hanc productionem animadvertimus, alteram ante litteras λλ in thesi IV. (II 570 *τρίλλιστε*, quae vox ad Homeri exemplum (Θ 488) spectat), alteram in thesi pedis II. (I 36 *ἕσσασθε*).

7. De exitu hexametri.

Restat, ut nonnulla verba faciam de legibus a Paulo in exeunte versu observatis. Nam huic quoque hexametri sedi Nonnum certas condiciones imposuisse non mirabimur, cum iam saepius novam severitatem huius poetae cognoverimus[1]). Revera autem has exstitisse et multo artiores quam apud antiquorum temporum poetas unusquisque intelleget comparatis circiter trecentorum versuum clausulis Homeri cum eadem multitudine versuum Nonni. Atque diligentissime, ut solent, observaverunt hunc usum Ludwichius et Meyerus[2]).

Primum enim animadvertendum est Nonnum trochaicum versus exitum, quantum potuit, vitasse, praecipue vero vocabula trochaica. Neque igitur mirum, quod apud Paulum quoque tam raro trochaeus in versus exitu adhibitus est; nam cum in mille fere versibus spondaicae clausulae obviam fiant, in 60[3]) trochaeus hexametrum claudit exceptis eis clausulis, quae monosyllabis efficiuntur. In his autem 60 versibus paulo saepius vocabula, quae trochaeo exeunt[4]), quam ipsa verba trochaica legimus. Atque eadem de spondaicis clausulis commemoranda sunt.

Sed iam de ipsis verbis agendum est, quae hexametrum claudunt. Ac primum quidem legem a Ludwichio constitutam laudamus, qua demonstravit (*Beitr.* p. 71 sqq.) vitatas esse syllabas finales *-ις, -ιν, -υς, -υν*, quarum mensura dubia esset. Quae cum apud Nonnum perraro in disyllabis admittantur, a Paulo duae adhibentur sine dubio natura longae: II 253 *ἀκτίς* et II 308 *ἁψίς*. — Ex epigrammatis hos locos enotavi: X 15, 2 *χάρις*. VI 54, 4 *χέλυς*. 84, 4 *γένυς*. IX 764, 1 *ἰχθύν*. V 275, 9 et VI 75, 1 *πουλύν*.

---

[1]) Primus de hac re disseruit Struvius in dissertatione semper laudanda („De exitu versuum in Nonni carminibus" Regimont. 1834).

[2]) Cf. Ludwich. *Beitr.* p. 60 adn. et p. 71 sqq. Meyer. l. l. p. 1010 sqq. Volkmann. l. l. p. 27 sqq. etc.

[3]) Neque vero recepi in hunc numerum clausulas, quae *αι* aut *οι* diphthongis efficiuntur.

[4]) Apud Nonnum teste Meyero (p. 1011) verba trochaeo finita omnino non inusitata sunt.

Nec minus raro substantivorum declinat. I. syllabae finales -*α* aut -*αν* in ultima hexametri thesi occurrunt. Semel Nonnus verbum *πέζαν* hoc loco posuit, quod an non recte Ludwichius (l. l. p. 79) in dativum *πέζῃ* mutaverit, equidem dubito. Nam primum in hoc Nonni versu (48, 170) quo de Pallene virgine humi prostrata agitur, melius dici cum dativo *ἐπὶ πέζῃ* existimo, tum autem eadem haec clausula etiam apud Paulum legitur (I 251):

ὧν ὑπὸ πέζαν
κίονες ἱδρύσαντο καρήατα δέσμια χαλκῷ.

In epigrammatis haec inveni: VI 75, 5 *νευρά.* VI 54, 5 *χορδά.* XVI 118, 3 *ἐκείνα.* VI 57, 4. 7 *αἰγανέαν, χορείαν.* VI 84, 1 *λαιάν.* 84, 6 *Νικαγόραν.*

Contra participiorum nominativus singularis feminini neque apud Nonnum neque apud Paulum fini versus obstat (cf. II 77. 173 *ἰοῦσα.* II 442 *δεϑεῖσα.* 222 *ἀμφιβαλοῦσα*).

-*α* syllaba pluralis generis neutr. declinat. II., quam clausulam apud Paulum substantiva et adiectiva exhibent (cf. II 68 *νῶτα.* II 458 *ὁμοῖα*), non omnino vitata est a Nonno, ut Ludwichius testatur (p. 79). — In participiorum quoque nominativo plural. neutr. haec clausula locum tenet. cf. a. 115 *φανέντα.* I 106 *κλιϑέντα.*

Saepissime autem usurpatur decl. III. accusativus singul., qui in -*α* exit (scilicet masculini generis, nam neutra repudiantur. Cf. Ludw. p. 79); in Pauli carmine hos duos inveni: *χιτῶνα* (a. 136, saepe apud Nonnum, cf. 1, 480) et *ἑλόντα* (I 125).

Verum adverbia in *α* exeuntia apud utrumque poetam hexametri clausulae contraria sunt uno vocabulo *ἔνϑα* excepto, quo, cum semel in Nonni carmine reperiatur, Paulus usitatur in sex versus finibus (I 248. II 151. a. 106 etc.).

Omnino autem Nonnus exclusit ex hac hexametri sede verbi finiti formas in *α* aut *αν* exeuntes. Qua de causa solam huiusmodi formam *χάραξαν*, quae legitur in Graefii editione II 277, Ludwichius[1]) eadem, ut videtur, coniectura eicere voluit, quam Graefius sensus conexu inductus in ad-

---

[1]) *Beitr.* p. 80; nam in annal. phil. CIX, p. 452 eum aliter correxisse infra intellegemus.

notatione proposuit; hic enim χάραξεν scribi maluit. Nam propter singularem verbi ἔξεσε (v. 279) vocem χάλυψ (v. 276) et huius verbi et antecedentis χαράσσειν subiectum esse putat, etiamsi pro singulari ἔξεσε facile corrigi posse pluralis ἔξεσαν concedit (v. 279 adn.). Sed hanc Graefii coniecturam vel ideo impugno, quod sic forma quaedam in textum infertur numquam a Paulo ne in epigrammatis quidem in fine versus admissa. Neque enim ullas formas, quibus ν paragogicum (ἐφελκυστικόν) adici potest, adhibuit in clausula versus poeta hac quoque ex parte Nonnum secutus, cuius mirum hunc usum princeps observavit Wernickius (ad Triph. p. 66), accuratius Scheindlerus (qu. Nonn. I, p. 65 sqq.; cf. etiam Volkmann. l. l. p. 30 sq. Uno Pauli loco in Graefii editione huiusmodi forma stat, II 133: ἐν ἄλσεσι δενδροκόμοισι, sed hic versus ullius momenti esse nequit, quia codex Graefio teste in fine huius versus lacunosus est. Revera Palatinus haec praebet: ἐν ..... ἀλσεσι ...... Itaque Graefii coniectura omnino non probabilis videtur. De duobus autem illis versibus (II 133 et 277) infra copiosius disputandum erit, quia proparoxytona in clausula sunt.

In epigrammatis has formas odiosas repperi: IX 396, 3 ἀπέπτα. V 244, 4 ἐποισόμεθα. 255, 18 καιόμεθα.

Trochaicorum vocabulorum, quibus poeta versum finire ausus est, alia iam apud Nonnum leguntur, velut αὐτός I 26. II 490 etc. Cf. Nonn. 11, 329 etc.[1]) — ἔργον I 174. Cf. Nonn. 3, 308 etc. — ἄλλος II 476. Cf. Nonn. 23, 40. — Alia, quae non obviam fiunt in Nonni carmine, haud multum recedunt a magistri usu. (Cf. cum verbo οἶμον Nonni μῦθον, ut hoc utar exemplo; porro φῶτας, οὖδας, λαός, νυκτός, φαιδρός al. apud Paulum versus claudunt).

Vocabulorum, quae in trochaeum exeunt, haec adfero: ἀγῶνος (cf. χιτῶνος Nonn. 1, 35 etc.), Βασιλῆος, γυναῖκες (cf. γυναῖκας Nonn. 1, 119), θεοῖο (ter apud Paulum), ἐκεῖνο (ter), ὁμοῖον, χιτῶνα al.

Sed etiamsi Paulum parce trochaica vocabula sic adhibuisse ex eis, quae dixi, conspicuum est, tamen magistrum

[1]) De Nonni usu cf. exempla a Ludwichio (*Beitr.* p. 60 adn.) et a Meyero (l. l. p. 1011) commodata.

ipsum etiam cautius fuisse intellegemus, si solum primum Dionysiacorum librum inspexerimus. Cuius in 534 versuum finibus nullum legitur disyllabum trochaicum. Eadem autem, quae de Paulo comperimus, de Christodoro quoque dicenda esse Baumgartenus demonstravit (p. 48 sq.).

Non minus severe Paulus eas regulas Nonni observandas sibi proposuit, quae sunt de monosyllabis in fine versus adhibendis. Has ipsas diligentissimarum observationum auxilio Plewius (cf. annal. phil. tom. XCV, p. 847 sqq.) condidit [1]). Nam Paulum, ut bis ab altera lege abhorret, ita alteram multo angustiores in fines coercuisse constat. Neque enim ante monosyllabum finale aliud verbum posuit nisi choriambicum; interdum eum discessisse ab hac regula in epigrammatis non miramur (cf. V 226, 7. 274, 3. 288, 3). Atque ante particulas quidem *δέ*, *γάρ*, *μέν* saepissime adiectivis aut participiis aut substantivis, ante substantiva vero (*φῶς* etc.) solis adiectivis Nonno auctore usus est, uno excepto participio (I 74 *ἐκχυμένη φλόξ*). Haec substantiva sunt: *φλόξ*, *χείρ* (haec etiam apud Nonnum occurrunt), *πλάξ* (a. 37), *φῶς* (I 190), *φλέψ* (a. 124).

Obstant autem Nonni regulis encliticae bis a Paulo adhibitae, II 525 *σοί* et a. 150 *πού*; quin etiam in priore versu duo monosyllaba (*γάρ σοι*), in posteriore vero etiam tria (*ἀλλὰ τὸ μέν που*) usurpantur; quam clausulam compluribus monosyllabis factam prorsus vitavit Nonnus [2]). — Easdem licentias etiam in epigrammatis animadvertimus; in ep. V 241, 5 poeta eandem clausulam *ἀλλὰ τὸ μέν που* admisit, bis (V 264, 9. 268, 3) monosyllaba *γάρ μοι*. Encliticas autem hasce inveni: *τοί* (V 274, 3), *τί* (288, 3), *τέ* (VI 81, 1).

Cum Nonnus usum verborum in exitu hexametri positorum regulis admodum severis circumcluderet, etiam in adhibendo vocabulorum accentu certas leges ab illo observatas esse primus intellexit ipse Ludwichius (ann. phil.

---

[1]) Cf. etiam Volkmann. l. l. p. 12 et Ludwich. Mus. Rh. XXXV, p. 500 sqq.

[2]) Cf. Ludwich. l. l. p. 505 et Plew. l. l. p. 851. — Plewius cum Pauli locis comparat Apoll. Rhod. I 288: *ἔξοχα γάρ μοι* et Quintum Smyrn. III 624. IV 11: *ἀλλὰ τὰ μέν που*.

CIX, p. 441 sqq.). Omnino enim vitantur proparoxytona. Uno loco, quo auctorem Cynegeticorum imitatus esset, Nonnum eiusmodi vocabulum admisisse Ludwichius contendit; ceteris autem locis aut medelam adhibendam aut ipsas codicum lectiones servandas esse censuit. Verum cum haud facile crediderim Nonnum in uno versu, qui solis duobus extremis verbis ὕψι κάρηνον cum Cynegeticorum versu illo conspirat, abhorruisse a lege sua, neutiquam Ludwichio concedo, ut etiam Pauli Silentiarii omnes locos corrigat, praesertim cum ipse vir doctus poetam in Anthologiae quidem epigrammatis liberiorem fuisse dicat. Quamquam commutavit hanc opinionem in dissertatiuncula de A. P. epigrammatis scripta (Mus. Rh. XLI, p. 592 sqq.). Quattuor enim huiusmodi clausularum, quae leguntur in epigrammatis, tres ita explicat Ludwichius, ut Paulum certa exempla sequentem faciat, nec sine causa. Nam clausulam θεῖον Ὅμηρον (VII 4, 1) usitatissimam fuisse apud poetas Graecos exemplis a Ludwichio adlatis satis discimus. — V 301, 7 χροὸς ἱμερόεντος dictum Homericum esse patet ex Il. Ξ 170. — Nec habeo, cur non adsentiar eis, quae de verbo ἠέρτημαι (V 230, 7) dixit vir ille Nonni peritissimus (cf. supra p. 49). Nam cum proparoxytonon tum pedis V. spondeus proverbiali usu excusantur. — Neque vero iure Ludwichium V 275, 7 et XVI 278, 1 ἔρωτος proparoxytonon mutasse in ἐρώτων arbitror. Nam quamquam et aliis Pauli locis et in multis Nonni versibus tales genetivos pluralis in versus fine positos videmus, tamen propter illos hi duo loci non suspiciosi sunt. Alter enim (XVI 278, 1), ubi de citharoedae cuiusdam imagine dicitur: πλῆκτρον ἔχει φόρμιγγος, ἔχει καὶ πλῆκτρον ἔρωτος, vel propter concinnitatem genetivum singularis flagitare videtur. Fugiunt praeterea Ludwichium complures loci Agathiae, qui nonnumquam et idem verbum (V 278, 1 ἔρωτες, VI 80, 3 ἔρωτι etc.) et alia accentu in antepaenultima posito in hac versus sede admisit. Itaque etiamsi hac in re observanda Paulum in universum Nonni dicto audientem fuisse puto, tamen non intellego, cur ter aut quater eam legem neglegere vetitus sit poeta noster, a quo alias quoque Nonni regulas non semper religiose observatas esse viderimus.

Nimirum in descriptionis versibus multo diligentius conditis, si proparoxytona in fine invenerimus, quorum de integritate etiam aliis de causis dubitare cogamur, odiosos illos locos per vim ex poetae textu expellere non verebimur. Quattuor autem tales clausulae editionis Graefianae in censum veniunt: II 59. 133. 277. 523.

Quarum ex altera (II 133) ἐν ἄλσεσι δενδροκόμοισι in fine admodum lacunosa ne quid concluderemus, iam supra monui (p. 78).

Tertio autem loco fastidioso (II 276 sqq.), qui apud Graefium sic legitur:

χάλυψ κοιλήνατο δίσκους,
ὧν μέσον ἀχράντοιο θεοῦ δείκηλα χάραξαν —:
πῇ μὲν ἐυπτερύγων στρατὸν ἔξεσεν ἀγγελιάων κτλ.

Ludwichius (ann. phil. CIX, p. 452) χάραξαν proparoxytonon in participium χαράξας corrigi voluit, quam emendationem iam a Bekkero in editione Pauli propositam verisimilem esse antea negavi. Neque enim putavi poetam summam rerum, ipsius Iesu Christi imaginem, participio tantum usum quasi neglegenter perstrinxisse, cum eas figuras, quae tamquam comites in utroque latere positae sunt, angelos et prophetas et apostolos, verbis finitis describeret. Nunc autem omnes dubitationes tacere necesse est, nam in ipso codice Palatino participium χαράξας Stadtmuellero teste legitur. Recte igitur viderunt illi viri vocabulum χάλυψ subiectum dominari usque ad v. 280 (χάλυψ—χαράξας—ἔξεσε). Cf. etiam II 205 χάλυψ ἐχάραξεν.

Sed aliter res se habet in versu II 521 sqq.

ταῦτα τυράννων
πολλάκις αὐτοφόνοιο χερὸς δηλήμονι τόλμῃ
αὐχένας ἐπρήνιξε, πρὶν ἔντεσι χεῖρας ἕλιξας.

Hanc enim formam Graefii textus praebet; in adnotatione autem dicit ille „ἑλίξεις vulgo", neque aliter legitur in codice, quem Ludwichius secutus est (ann. phil. CIX, 452). Sed contra utramque formam monendum est numquam Paulum πρίν voculam coniunxisse cum verbo finito. Accedit, quod forma ἑλίξεις omnino non intellegitur. Haec enim est sententia: imperatoris potestas tyrannos commovit, ut se ipsi interficerent, priusquam arma caperentur. Perpaucis autem

locis, quibus ex *πρίν* coniunctione indicativus futuri pendet[1]), semper in prima sententia aut cupitur aliquid aut vetatur; sed post merum tempus praeteritum voculam *πρίν* cum indicativo futuri coniunctam equidem non inveni. — Cum Graefio autem *ἕλιξας* scribi nolo, quia, praeterquam quod finitum verbum post *πρίν* voculam non occurrit apud Paulum, inferre textui proparoxytonon audacius esse mihi videtur. Verum offendit tota sententia *χεῖρας ἔντεσιν ἑλίσσειν,* neque enim aliud exemplum huius mirae sane verborum coniunctionis reperitur. Itaque quia coniectura hunc locum sanandum esse duco, propono: *πρὶν ἔντεα χεῖρας ἑλίξαι* „priusquam manus arma vibrassent". Sed fortasse magis adrideat Stadtmuelleri coniectura, quam comiter mecum communicavit. In litteris enim *χεῖρας ἑ* latere verba *χεῖρά σε* suspicatus coniectavit vir doctus: *πρὶν ἔντεσι χεῖρά σε μῖξαι.*

Restat, ut sententiam meam proferam de v. II 59, de quo postremo agere malui. Nam ut etiam ex hoc versu eicerem proparoxytonon in codice Palatino traditum, a me impetrare non potui, propterea quod sensu illud omnino postulari videtur. Cf. II 57 sqq.

μέσσα μὲν ἁψίδων — —
ὀπταλέαις πλίνθοισιν ἀρηρότα δήσατο τέχνῃ
ἄκρα δὲ πετραίοιο κεράατα πῆξε δ ό μ ο ι ο.

πετραίοιο Hermannus coniectura reposuit, in codice *πετραίοισι* stat. Itaque Ludwichius (l. l. p. 453) *δομαίοις* correxit pro verbo *δόμοιο.* Sed *οἱ δομαῖοι* vocabulum paucis, quibus invenitur, locis velut apud Nonnum 5, 63, nil aliud quam *θεμέθλια* significat (cf. Hesychium s. v. *δομαίους*: „*οἰκόπεδα, θεμελίους*"). Quae significatio prorsus non quadrat ad hunc locum; nam quid sibi velint fundamenta, non perspicitur. *δόμος* autem vox dicitur de lapidum ordine, cf. Herodot. I 179. II 127 vel Diodor. I 64 vel Polyb. X 22, 7. Itaque *δόμοιο* tutandum esse puto, quia poeta hoc loco de ordine saxorum cogitat, quibus apsidis orae quasi circumclusae sunt. *πετραίοισι* autem dativus librarii errori imputandus est, qui fortasse antecedentis versus dativis *(πλίνθοισι ὀπ-*

---

[1]) Collegit eos Iacobsius ad A. P. IX 169 et ad Philostrat. imag. I 28.

ταλέαις) perductus quasi substantivum *πετραίοισι* scripsit. Tum autem verbum *δόμοιο* cum voce *κεράατα* coniungendum de ipso templo dictum esset, cuius de *κέρασιν* hic omnino non agitur.

Saepissime poeta paroxytonis in versus fine usus est. Nam tres fere versuum partes talia verba exhibent. Oxytona saepius inter vocabula in spondeum exeuntia deprehendimus aut in ipsis spondaicis, raro in trochaicis et bis in verbo, quod in trochaeum exit (II 148 *λοετρά.* II 288 *χαμηλά.* Cf. Tiedk. Herm. XIII, p. 351). Nec raro perispomena adhibentur. Verborum autem formas in hac versus sede numquam fere apud Nonnianos accentum in ultimam syllabam recipere recte vidit Hermannus Seume (Mus. Rhen. XXXVII, p. 633 sqq.).

Itaque quia plurimi omnium versuum paroxytonis finiuntur, non dubito contendere etiam Paulum, ut est in numero poetarum, qui emorientis Graecorum poeseos temporibus viguerunt, id egisse, ut in hac versus sede vocabuli accentus consentiret quam saepissime cum ictu versus; et praeivit in hoc usu excolendo Nonnus magister.

Pauca hoc loco verba adicere liceat de eis legibus, quas de accentu vocabulorum ante semiquinariam positorum Tiedkius princeps constituit (Herm. XIII, p. 59). Cuius ex sententia Nonnus sola paroxytona hoc loco adhibuit vitatis quam maxime aliis verbis. Quod etiamsi Nonni usu probatur, tamen omnino Baumgarteno (l. l. p. 50) adstipulor, qui non propter accentum rara esse proparoxytona contendit, sed propter vitatam productionem brevis syllabae finalis in semiquinaria, quae solas fere natura longas syllabas patitur. Quam ob rem alia quoque verba praeter proparoxytona hac in hexametri sede repudiantur. Itaque etiam apud Paulum et proparoxytona et properispomena perraro sic usurpantur. Exceptis enim eis versibus, in quibus semiquinaria encliticis aut voculis *δέ*, *γάρ* sequentibus tota paene celatur (cf. e. gr. *ἑσπέριόν τε*), duo proparoxytona occurrunt, quae in *αι* exeunt (I 236. II 399), unum in nomine proprio (II 136 *Ἀνθέμιος*). Properispomenorum tria diphthongo *αι*, unum *οι* finiuntur. I 269 verbum *θεῖσαν* lacuna sequitur, et II 599 particula *δέ* post vocem *πᾶσαν* posita semiquinaria tollitur.

— Item in paroxytonis raro ultima producitur in semiquinaria. Nam in eis solis verbis, quae aliter in hexametro adhiberi non possunt, hanc productionem deprehendimus, sicut in vocibus: λαοτόρος, δρυτόμος, χαμαιπαγέες etc. — Oxytona quae apud Paulum ante semiquinariam leguntur, omnia longas syllabas in fine habent.

In caesura troch. III imprimis proparoxytona aut properispomena usurpantur. Etiam ad Pauli usum spectat Meyeri observatio de oxytonis facta (l. l. p. 1016); raro enim (in 17 vv.) poeta ante hanc caesuram oxytona duarum syllabarum admisit.

Sed quae diximus contra Tiedkii legem de accentu verborum ante semiquinariam positorum conditam, etiam ad observationes pertinent institutas de eis vocabulis, quae ante caesuram mascul. V. stant (cf. Herm. XIV, p. 219 sqq.). Quo loco propter vitatam productionem et proparoxytona (inveniuntur duo in αι exeuntia II 121. II 359; porro I 130 ἐπεκτύπεον. II 5 ἐνίδρυσαν. 174 ἑσπέριον) et paroxytona, quorum ultima brevis est, perraro usurpantur. Disyllaba autem spondaica, quae maxime τέ aut δέ voculae secuntur, et trisyllaba anapaestica vitantur, ne auctis in fine hexametri caesuris mascul. versus gravior fiat. Eadem de causa ne molossica quidem vocabula (cf. ἀλλήλας) libenter ab his poetis ante caesuram mascul. V admittuntur. — Itaque Tiedkius veram causam observationum suarum invenisse non videtur.

Haec fere habui, quae dicerem de Pauli Silentiarii arte metrica. Quibus ex observationibus, etiamsi omnino non mihi sumo, ut eis perfecta imago usus metrici huius poetae data sit, hoc certe apparet Paulum, quamquam modo liberiorem modo severiorem quam ipsum Nonnum vidimus, tamen tota arte in universum conspecta fidelissimum magistri discipulum fuisse. Unde sequitur, ut eius versus, cum summam praebeant levitatem, varietate omnino careant comparatis quidem variis formis hexametri Homerici. Quae exilitas cum ipsis sex formis efficiatur, quas solas Paulus admisit, etiam augetur ea re, quod poeta tam saepe in versibus continuis eandem structuram metricam repetivit. Sed tantum abest, ut consilio poetam haec fecissse arbitrer, ut servitutis

cuiusdam esse existimen. Eis enim, quos attuli, locis Paulus, qui aetatis opinionem secutus artem metricam summam rerum habuit, cui res ipsa subicienda esset, tamquam discipulus videtur adeo vinctus regulis magistri, ut nondum eam adsecutus sit elegantiam, quae summa formarum varietate excellit. Si autem hoc maximum formae imperium, quod omnium poetarum Nonnianorum proprium est, eis concesserimus, Paulo modo a nobis vituperato non minus quam aliis illorum temporum poetis hoc quidem laudis tribui probabunt illi viri docti, qui eum lectu dignum putaverint: Perpolitam formam metricam, qua sane volubilis efficitur versuum fluxus, non parvam praebere iucunditatem.

De prooemiis iambicis.

Postremo, adpendiculae loco, nonnulla verba addere in animo est de arte metrica, qua Paulus usus est in trimetris iambicis, qui singulis libris praemissi sunt.

Quibus tantum abest, ut poeta eandem severitatem praestiterit, qua in ipsa descriptione excellebat, ut valde alienus a tragicorum arte omnes comicorum licentias receperit. Quin etiam auxit eas versu 17 praefationis II., ubi quarti iambi loco spondeus admittitur:

τὸν ἥλιον μὲν ἀνατέλλειν ἐν ἡμέρᾳ,

quem infinitivum praesentis ne corrigamus, ceteris infinitivis sequentis versus prohibemur:

τὸ φῶς τε λάμπειν, τοὺς λόγους δ' εἶναι λόγους.

Comicorum autem licentias usurpatas videmus in compluribus versibus, in quibus iamborum arses solvuntur aut anapaesti pro iambis adhibentur. Neque enim his solutionibus tragici poetae utebantur nisi in ipsorum verborum primis syllabis, aut si prior brevis monosyllabo efficiebatur. Apud Paulum autem non raro, velut apud comicos, prior brevis in ultima syllaba verbi plurium syllabarum ponitur. Cf. praef. I 11 *ὥσπερ ἐπίσημον*. I 18. 34. II 32. IV (i. e. amb.) 20. 25. Nec minus abhorret poeta a tragicorum usu hac solutione in mediis verbi syllabis posita, id quod ter fecit in verbo *βασιλεύς*. II 2 *βασιλέως*. 54. I 55.

In anapaestis quoque adhibendis liberrimas leges comicorum Paulus ad imitandum sibi proposuit. Nam non solum

in ipsis verbis eos deprehendimus, sed etiam ita dispertitos, ut prior anapaesti brevis aut ambae breves clausulae verbi tribuantur, reliqua vero huius pedis pars initio sequentis pedis. Cf. I 72 τοσοῦ|τός ἔρως|. I 63. III 3 ἡγή|σατό τοῦ|το. I 1. 48. 54. 63. 34.

Iam minoris offensionis ei anapaesti sunt, quorum theses monosyllabis aut disyllabis efficiuntur cum proximo verbo arte coniunctis. Cf. IV 5 γὰρ ἂν εἴη. I 72 ὁ τοσοῦτος. 73 ἐπὶ σοί.

Item Paulus saepius a regula de trimetri fine constituta recedit (cf. Christ. *Metrik* ² p. 338). Nam si creticus aut uno verbo aut duobus vocabulis factus versum claudit, haud ita raro Paulus spondaicam clausulam verbi plurium syllabarum ante eum posuit. Cf. I 17 διαδιδράσκεις εὐκόλως. I 36 al.

Quibus observationibus satis demonstravisse mihi videor Paulum trimetros iambicos liberrime conformasse (puros versus iambicos quattuor inveni: I 16. 65. 75. II 6).

Nec impune hoc sibi indulsit misellus Byzantinus. Nam quamvis sero tamen vehementissime eum castigavit virga severi Scaligeri. Hic enim iudicium illud, quod de Paulo fecit, hisce finivit verbis: „Iambus autem, quem operi praeposuit, adeo infans, ieiunus, hiulcus, ἀσύστατος est, ut tironem potius quam maturum poetam agnoscas.“

III.

De Pauli Silentiarii dictione.

Hoc quoque in capite imprimis id agam, ut exemplis quam plurimis demonstrem, quantopere Paulus etiam sermonem poeticum Nonni secutus sit. Sed angustiis dissertationis vela contrahere cogor, neque tam dilucide disserere possum de arta illa Nonni Paulique necessitudine, quam Ludovicus Schwabe exposuit de ea, quae est inter Musaeum et Panopolitanum. Hic enim vir doctus libello, quo philologorum consessum Tubingensem salutavit anno 1876, sin-

gulis versibus carminis de Hero et Leandro conscripti multos addidit Nonni locos, quibus aut verba singula aut maiores versus partes vel in eadem vel in alia hexametri sede usurpatae redirent. Hoc autem loco Pauli Nonnique sodalitatem satis explanavisse mihi videbor exposito certo usu et sine dubio omnibus conspicuo, quicunque Dionysiacorum paucos dumtaxat libros pervolverunt; dico usum adiectivorum duobus verbis compositorum. De quo complures scripserunt viri docti, velut Ludwichius [1]), Riglerus [2]), Assmusius [3]) Bintzius [4]) al., quorum variis collectionibus adiectivorum Nonnicorum praeter ipsas meas, quas toto Nonno plus quam semel lectitato composui, lubenter me usum esse confiteor, propterea quod lexicon Nonnianum a Riglero promissum neque confectum haud minus aegre desidero, quam Baumgartenus (p. 57) et al.[5]). Qua de causa si interdum neglectos videritis Nonni locos, ignoscatis quaeso; neque enim, ut omnes XLVIII Dionysiacorum libros memoria teneam, quemquam postulaturum esse spero. Paraphrasis quidem evangelii Ioannei verba in Scheindleri indice editioni (Lipsiae 1881) adfixo inveniuntur.

Iam liceat nonnulla talium adiectivorum specimina, quae in Pauli carminibus reperimus, colligere adiectis Nonni locis, ex quibus eadem et persimilia iam Panopolitanum adamasse manifestum est. Atque primum quidem ad p r i o r e m compositionis partem respiciam.

ἀλιτρό-νοος Paul. II 289. 559. Nonn. *I* 150 *M* 124 [6]). *-βίος* N. *O* 73.

ἁλι-γείτων P. II 612. N. * 28, 247. * 42, 17. *-βρεκτος* P. I 162. N. * 1, 263. * 28, 249. *-ζωνος* P. a. 204. N. * 13, 147. * 48, 37. *-πλαγκτος* P. I 50. N. * 3, 245. *-στεφής* P.

---

[1]) *Beitr.* p. 99 sqq.

[2]) Meletemata Nonniana. I—V. Progr. Potsdam. 1850 sqq.

[3]) Scholae Nonnianae. Progr. Krotoschin. 1864.

[4]) De usu et significatione adiectivorum epicorum apud Nonnum Panopolitanum. Halis 1865.

[5]) Hoc autem opus a Riglero incohatum Arth. Ludwichius fortasse propediem ad finem perducet, siquidem exsecuturus est, quae promisit in annal. phil. CXIII, p. 29 sqq.

[6]) Unum Nonni locum aut duos adferre satis sit; asterisco autem eos significavi, ubi Nonnus verba in eadem versus sede collocavit ac Paulus.

II 190. N. * 13, 455. Permulta adiectiva, quae cum voce ἁλι- composita sunt, Nonni carmina praebent. Addas haec ἁλί-δρομος -δινής -εργός -κρήπις -κλυστος -κτυπος -πλανής -πόρφυρος, -πτοίητος -ῤῥοιζος -στέφανος -τροφος -χλαινος. — Sed non inveni apud Nonnum ἁλιανθής P. II 355. a. 186. V 228, 3 aut ἁλλιῤῥόθιος a. 205, quorum alterum in Orphicis et in Anthol. Pal. legitur, alterum Homeri est. Apud ceteros quoque Nonnianos talia adiectiva in honore erant. Cf. Musaei ἁλιηχής 26 -πνόος 265 aut Triphiodori -μυρής 684.

ἁμαρτί-νοος P. II 613. N. * Z 188. Δ 88. -γαμος 48, 94.

ζωο-τόκος P. I 197. N. * 25, 539. * 38, 417. * E 109. -τύπος P. II 195. N. * 5, 527. -αρκής N. 5, 220.

ἰθύ-νοος P. II 601. N. 41, 353. -πορος P. I 177. II 442. N. 3, 28. 37, 283. N. -κέλευθος 15, 364. -τενής 10, 52.

πολυ- plurima adiectiva hanc priorem compositionis partem exhibent et apud Nonnum et apud Paulum. (Cf. Assmus. l. l. p. 24.) πολύ-γληνος P. I 225. N. 3, 272; 20, 19. -γλωσσος P. II 271. N. 17, 389. H 119. -γναμπτος P. II 395. N. * 12, 299. * 21, 122. -ιδρις P. II 407. N. * 17, 106. -κυκλος P. I 267. II 115. N. * 7, 20. -πλαγκτος P. II 213. N. 4, 28. -σχιδής P. II 177. N. * 5, 52; * 17, 142. -στρεπτος P. II 431. N. * 5, 107; * 11, 173. -τρητος P. II 413. N. 5, 228; 14, 421. -τροπος P. II 258. N. * 1, 14; * 28, 7. -υμνος P. I 212. 242 etc. N. 48, 188. -χροος P. II 42. 351. a. 254. N. * 2, 203. * 41, 34. -χρόνιος P. II 505. N. * 32, 213. 41, 322.

ὑψι- ὑψαύχην P. I 146 II 226. N. * 2, 704. * B 58. -κέλευθος P. II 401. N. * 6, 377. * 43, 281. -λοφος P. II 133. 161. 242. N. * 3, 17. * 16, 159. -πορος P. II 405. N. * 2, 126. * 23, 118. -τενής P. a. 216. N. 36, 230. 40, 83.

φαεσ-φόρος P. II 436. N. * 5, 167. * 16, 47. -ίμβροτος P. II 466. N. 10, 284.

Sed iam transeamus ad ea adiectiva, quorum posteriore parte persaepe ad componenda adiectiva usi sunt et Nonnus et Paulus.

-αυγής. λιπ- P. II 331. N. * Θ 2. * I 180. πυρ- P. II 452. N. * 1, 182. 36, 151. φερ- P. II 487. N. 23, 93. 24, 305. χρυσ- P. a. 160. 263. N. * 4, 106. 43, 442.

-βιος (βία). *ἀντί-* P. I 140. II 527. A. P. VI 81, 1. N. * 28, 248. * 5, 48. *ὑπέρ-* P. I 14. 246. N. * *Θ* 88.

-βιος (ὁ βίος). *φερέσ-* P. I 11. 99. II 499. N. * 30, 169. * *E* 105.

-βόλος. *ἰχθυ-* P. II 291. N. * 20, 373. *Σ* 71. *τηλε-* P. II 274. N. * 28, 132.

-γενής. *ἀρτι-* P. a. 75. N. * *H* 85. *θερει-* P. I 183. N. * 12, 95, * 288. *παλαι-* N. 11, 369. 38, 106. *παλιγ-* N. *Λ* 120.

-δίνητος. *ἀει-* P. I 266. N. * 6, 87. *εὐ-* P. II 66. 448. a. 91. N. * 6, 109. 26, 89.

-εργής. *ἀεργ.* P. I 82. N. * 20, 56. *κακοεργ.* P. I 61. N. 35, 264.

-κρημνος. *βαθύ-* P. a. 225. N. * 13, 70. * 18, 58. *ἀμφί-* N. 13, 127. *ὑψί-* N. 2, 454.

-μορφος. *ἀγλαό-* P. I 153. N. * *Φ* 143. *αἰολό-* P. II 468. a. 51. N. * 24, 325. * *K* 15. *ποικιλό-* P. II 352. N. * 32, 100. * 45, 38. *πολύ-* N. 2, 60. *Ξ* 64.

-νοος. *ἀλιτρό-* P. II 289. N. *I* 150. *M* 124. *ἁμαρτί-* P. II 613. N. * *Z* 188. *ἰθύ-* P. II 601. N. 41, 353. *ἀεξί-* N. 14, 119. *κλεψί-* N. 20, 185.

-οχος. *ἀστύ-* P. I 28. II 555. 561 etc. N. 26, 10. 47, 577. *πολισσοῦχος* P. I 7. II 382. 566. N. 3, 262. 34, 358. *σκηπτοῦχος* P. I 22. 40. 80. 213 etc. N. * 2, 581. * 7, 338. *ὀφιοῦχος* N. 2, 675.

-πόλος. *θυη-* P. a. 214. N. * 47, 577. * *Δ* 110. *μυστι-* P. I 54. 230 etc. N. * 12, 19. * *Λ* 65. *νηο-* P. II 441. N. 3, 262. *Σ* 141. *ὑμνο-* P. a. 1. N. * 22, 12. 19, 70. *θαλαμη-* N. 18, 367. *νυκτι-* N. *Σ* 124.

-πορος. *ἀντί-* P. II 16. 395. 493. A. P. V 255, 15. N. * 1, 231. 27, 4. *εὐρύ-* P. II 100. a. 21. 170. N. * 24, 82. *Γ* 118. *θαλασσό-* P. II 491. N. * 21, 185. * 36, 421. *ἰθύ-* P. I 177. II 442. A. P. VI 64, 4. N. 3, 28. 37, 283 etc. etc.

-τόκος. *ζωο-* P. I 197. N. * 25, 539. * *E* 109. *καρπο-* P. I 77. N. * 22, 277. * 40, 344. *αἰνο-* N. *Z* 227. *ὀμβρο-* N. 2, 450 etc.

-τυπος. *ἀντί-* P. II 567. A. P. IX 443, 1. N. * 5, 595. *ζωό-* P. II 195. N. * 5, 527. *ἡλό-* N. *Y* 91. *ἰσό-* N. 15, 41 etc.

-φαής. εὐ- P. II 10[1]). 94. 428. 437. N. 8, 111. Υ 50. παμ- P. a. 274. N. * 40, 379. * Ν 144. πλησι- P. II 121. 457. N. * 41, 258. χρυσο- P. II 353. N. * 2, 598. * 37, 478.

-φόρος. πυρσο- P. II 331. 456. N. * 7, 340. * 30, 100. σελασ- P. II 414. 420. N. * 1, 451. * 8, 341. φαεσ- P. II 436. N. * 5, 167. * 16, 47. φωσ- P. II 71. N. * 4, 138. * 38, 307.

-φρων. ἔμ- P. I 135. N. *4, 455. * 5, 333. θελξί- P. II 247. N. * 6, 34. * 13, 270. πρό- P. II 573. Δ 46. ἐχέ- N. 30, 79 etc.

-χροος. πολύ- P. II 42. 351. a. 254. N. * 2, 203. *41, 34. ταμεσί- P. A. P. XI 60, 7. N. * 35, 343. * 37, 510.

-ώδης. ἑλικ- P. II 240. N. * 7, 327. * 16, 15. εὐ- P. II 325. N. * 31, 208. * 36, 364. ὀφι- P. a. 238. N. * 2, 562. * 41, 60.

His autem exemplis iam satis superque intellegi arbitror, quanta fuerit hoc quoque in usu excolendo necessitudo horum poetarum.

Verum Paulum non solum aliorum vestigia pressisse in adhibendis illis adiectivis, sed etiam ipsum sua sponte novis quibusdam verbis neque ita paucis poetici sermonis thesaurum auxisse[2]) prolatis eis vocabulis demonstrabo, quae, quantum equidem notis philologorum auxiliis adiutus video, solis in Pauli carminibus occurrunt. Nimirum omnia fere haec nova adiectiva ad Nonni exempla Paulus, qua erat fide, conformavit; singulis enim, quae in Nonni carminibus invenit, compositionis elementis usus nova componebat adiectiva. Percenseatis quaeso conspectum meum, in quo persimilia et Pauli et Nonni vocabula Paulinis illis adiciam[3]).

ἀερσι-κάρηνος II 398. a.) ἀερσί- N. -λοφος 34, 169. -νοος 33, 67. -πότητος 33, 86. b.) -κάρηνος. ὀξυ- P. II 79. 460. N. προ-28, 218. πουλυ- 40, 233. ὑψι- 45, 46.

---

[1]) Rectissime explevit lacunam Ludwichius ὑπ' εὐφαέεσσι θυρέτροις.

[2]) Idem alii quoque illorum temporum poetae fecerunt, sicuti Christodorus. Cf. Baumg. p. 59.

[3]) Huc quoque omnes Nonni locos adferre neque potui neque necessarium mihi videbatur.

ἀκρο-έλικτος a. 178. -χανής A. P. VI 57, 2. a.) ἀκρο-βαφής P. A. P. VI 66, 6. N. 41, 240. N. -κομος *M* 56. -φανής *Δ* 168. (Cf. Assm. p. 9.) b.) -έλικτος. ἀμφι- P. I 159. N. 4, 377. τρι- P. II 378. N. 7, 128. N. αὐτο- N. 39, 336 [Koechly. II p. 203]. πουλυ- N. 5, 568.

ἁλί-κμητος a. 199. a.) ἁλι- videas exempla, quae supra contuli sub hac voce. b.) -κμητος, apud Paulum etiam πυρίκμητος II 408 legitur. Cf. ἀκμής a. 188.

ἀμφι-έλιξ a. 108. Compositiones cum voce -έλικτος factae haud rarae sunt apud Nonnum et Paulum (cf. supra). Huius vero adiectivi simile exemplum apud Nonnum non repperi.

ἀνδρο-δόκος a. 188. a.) ἀνδρο-φόνος P. I 60. N. * 13, 118. b.) -δόκος. ξεινο- P. A. P. X 15, 8. N. 10, 105. σιτο- P. A. P. XI 60, 3. N. ἀδωρο- 34, 176. θεη- *Δ* 4. οἰνο- 14, 125. παν- *E* 33.

βαθύ-γλυπτος a. 156. -κρύσταλλος II 221. -πρήων II 220. a.) βαθύ- (cf. Assm. p. 12). -κνημος P. I 270. N. 4, 336. -κολπος P. I 272. II 114. 214. N. * 12, 327. 21, 94. -κρημνος N. * 13, 70. * 18, 58. -στερνος P. II 447. N. -κρήπις 9, 273. -πλουτος 2, 687. -σκιος 40, 298. -σχοινος 11, 171.

δαιδαλο-εργός a. 94. a.) adiectivum, cuius prior pars voce δαιδαλο- efficiatur, in Nonni carminibus mihi quidem non occurrit; b.) -εργός N. ἀμβολι- 42, 145. (Cf. Rigler. Mel. Nonn. V, p. 16 sq.) θρασυ- *T* 68. ταλα- 2, 64. 37, 705. ταχύ- 29, 157 etc.

ἐρί-κνημος I 141. a.) ἐρί- P. -κνημις I 171. -σθενής I 42. -χρυσος II 596. -τιμος II 178. 225. N. κτέανος 11, 46. -στάφυλος 30, 194. -φλεγής 23, 257. -φλοισβος 6, 251. b.) -κνημος. βαθύ- P. I 270. N. 4, 336. δασύ- N. 9, 203.

εὐ-άντυξ I 121. a.) Exempla adiectivorum cum adverbio εὐ- compositorum colligere non opus est. b.) -άντυξ πολυ- P. a. 169. ὑψ- N. *E* 5.

εὔ-γραφος II 189. a. 70. ἄγρ- N. *E* 182. *Y* 138.

εὐ-πρήων a. 247. Cf. βαθυπρήων.

εὐρυ-θέμειλος II 204. β.) -κέλευθος II 305. a.) εὐρύ-πορος P. II 100. a. 21. 170. N. *24, 82. *Γ* 118. N.

-γένειος Γ 79. -ῥέεθρος 27, 335. -χορος 13. 77. b.) -θέμειλος. καλλι- P. a. 76. N. αὐτο-θέμεθλος (de forma -θέμεθλος cf. adn. 2. pag. 101) Ξ 93. ὑψι-θέμεθλος Δ 8. — β.) -κέλευθος. προ- P. I 126. 194. II 543. N. 5, 588. * 7. 287. ὑψι- P. II 401. N. *6, 377. 22, 221 [K. I, p. 323]. ἀμφι- P. a. 180. N. ἀγχι- 37, 628. ἰθυ- 15, 364. ὀπισθο- 18, 159.

εὐ-σέλαος II 414. Simile Nonni adiectivum equidem invenire non potui.

ἠπιο-δίνητος A. P. V 250, 2. a.) ἠπιό-δωρος ap. Hom. Il. Ζ 251; saepius Anthol. Pal. talia adiectiva exhibet. Cf. ἠπιό-θυμος, -χειρ etc. b.) δίνητος. ἀει- P. I 266. N. * 6, 87. εὐ- P. II 66. 448. a. 91 N. * 6, 109. * 26, 89. παλιν- N. 1, 290.

ἱμερο-δερκής a. 275. a.) ἱμερό-φοιτος N. 15, 227. b.) -δερκής. παν- P. I 62. N. Μ 165.

ἰσο-τενής II 429. a. 158. 230. a.) ἰσό- (cf. Assm. p. 17) -μετρος P. a. 153. N. * 28, 225. * 37, 106. -πλευρος P. a. 232. N. -ἀριθμος 25, 10. -ζυξ 3, 384. -τυπος 2, 507. b.) -τενής. ὑψι- P. a. 216. N. 36, 230. 40, 83. ὀρθο- P. II 325. 346. N. ὀξυ- 19, 292.

καλλί-γαμος A. P. IX 765, 1. β.) -θέμειλος a. 76. γ.) -πονος II 138. 275. 349. a.) καλλί- κομος P. II 326. N. *9, 99 (cf. Rigler. M. N. V p. 16 sq.). -χορος P. II 130. 486. N. -γύναικος 34, 263 -έθειρα Δ 8. -πέτηλος Ο 3. -στερνος 5, 553 etc. b.) -γαμος. ἀπειρό- P. II 20. N. *13, 98. *47, 416. οἰό- P. A. P. V 232, 8. τελεσσί- N. 2, 220. β.) -θέμειλος cf. supra s. v. εὐρυθέμειλοι. γ.) -πόνος. ἐργο- P. I 264. II 303. N. * 3, 133. * 24, 329. ἱστο- 5, 603.

κραται-παγής II 203. a.) κραταί-ρινος P. a. 89. Homer. -γύαλος Τ 361. -πεδον ψ 46. b.) -παγής. μεσσο- P. II 421. N. * 1, 233. * 38, 314. εὐ- P. II 34. N. ἀρτι- 40, 458. αὐτο- 38, 4. ἀμφι- Δ 136. ῥιζο- 2, 247. ὀξυ- 14, 385.

κυκλο-φόρητος II 454. a.) κυκλο- Nonni exempla non habeo. Sed iam Homerus talibus adiectivis usitabatur, saepissime autem Anthol. Pal. poetae et scriptores recentiores. b.) -φόρητος N. αὐτο- 10, 150. ὑγρο- 15, 372.

λαο-τόρος II 189. 232. a. 140. 234. a.) *λαο-* P. *-τόμος* a. 87. 110. *-τύπος* a. 126. 236; apud Nonnum nil inveni. b.) *-τόρος. ῥινο-* P. I 24. N. *45, 288. *ὀξυ-* N. *Υ* 111.

λιθό-τμητος II 516. a.) *λιθό-* N. *-βλητος Θ* 190 *-στρωτος Τ* 62 etc. b.) *-τμητος* N. *φιλό- Ξ* 16.

λιπ(ο)- -αλγής II 475. *β.*) *-κτέανος* II 577. *γ.*) *-στέφανος* VI 71, 1. a.) *λιπ- -αυγής* P. II 331. N. **Θ* 2. **Ι* 180 (cf. Assm. p. 19). *-ερνήτης* P. II 594. N. *-βλέφαρος Ι* 6. *-πτολις* 3, 296. *-ῥῥινος* 1, 44. *-τριξ* 19, 202 etc. b.) *-αλγής* N. *πολυ-* 20, 97. *β.*) *-κτέανος. βαθυ-* P. A. P. X 74, 1. N. 12, 126. N. *ἀκτέανος Μ* 23 *ἐχε-* 37, 722 etc. *γ.*) *-στέφανος* N. *φιλο-* 48, 973.

λοξο-τενής II 216. a. 45. a.) *λοξο-* apud Nonn. exempla non inveni, nisi locum a Koechlyo emendatum 5, 233: *λοξοκέλευθος*. b.) *τενής* cf. supra s. v. *ἰσοτενής*.

μελάγ-γυιος II 571. *-κρήπις* I 128. a.) *μελα(ν) -κρήδεμνος* P. II 489. N. **Ζ* 67. *-πεπλος* P. A. P. XI 60, 4. N. *-ζωνος* 31, 116. *-κολπος* 34, 83. *-ῥῥινος* 37, 487 etc. b.) *-κρήπις. ἐυ-* P. I 142. N. 40, 258. *βαθυ-* 9, 273.

μελί-φυρτος V 270, 7. a.) *μελί- -φθογγος* P. I 21. N. *-γλωσσος* 22, 11. *-ηδής* 4, 140. *-ῥῥυτος Ζ* 133 etc.

μεσό-δμητος II 63. a.) *μεσσο- -παγής* P. II 421. N. *1, 233. *38, 314. *-σχιδής* P. A. P. VI 64, 3. *-φανής* N. *Σ* 22. 1, 252. b.) *-δμητος* N. *αἰπύ-* 20, 148. *θεό- Β* 110. *νεό-* 19, 85.

μουνο-φανής II 424. a.) *μουνο-* N. *-γενής Α* 25. b.) *-φανής. χρυσο-* P. II 219. N. *ἀγχι-* 29, 170. *ἀρτι-* 26, 189. *πρωτο-* 41, 84. *μεσσο- Ζ* 7.

μυριό-μετρος II 41. a.) *μυριο-* Huius vocabuli auxilio frequentius in Anthol. Pal. composita efficiuntur, numquam, si recte vidi, apud Nonnum. b.) *-μετρος. ἰσό-* P. a. 153. N. *28, 225, *37, 106. *περί-* P. I 134. N. *7, 220. *τανύ-* P. a. 49.

οἰό-γαμος V 232, 8. Cf. s. v. *καλλίγαμος*.

ὀκτά-ζυξ II 316. *β.*) *-πλευρος* II 312. Apud Nonnum talia composita omnino non parce usurpantur. a.) *ὀκτάτομος* II 193. b.) *-ζυξ (ζυγος)* P. *ἄζυξ* II 448. N. *1, 98.

4, 262. τετρά- P. II 548. N. *12, 169. *Γ 82. β.) -πλευρος. ἰσό- P. a. 232. N. τετρά- 2, 391. τανύ- Ε 4.

ὀξυ-κόρυμβος II 313. a.) ὀξυ- -κάρηνος P. II 79, 460. N. -παγής 14, 385 (cf. Assm. p. 21). -τενής 19, 292. -τόρος Υ 111. b.) -κόρυμβος P. δι- II 433. πυρσο- a. 166.

παλιν-δωμήτωρ I 84. a.) παλι(γ)-N. -γενής Δ 120. -δίνητος Γ 41. — ζωος Β 105. -πνοος 25, 534.

παν-αγρεύς V 219, 3. -άπιστος II 31. -άφυκτος IX 396, 3. a.) παν- εἴκελος P. II 427. N. *1, 408. *13, 87. -νύχιος P. I 202. N. 7, 300. -φαής P. a. 274. N. 40, 379. Ν 144. etc. etc.

ποικιλο-εργός II 377 a. 262. a.) ποικιλό- -μορφος P. II 352 a. 95. N. *32, 100. *45, 38. N. -νωτος 2, 575. -φωνος 2, 510. b.) -εργός cf. s. v. δαιδαλοεργός.

πολυ-άντυξ α. 169. a.) πολυ- cf. s. v. πολυ. b.) -άντυξ cf. s. v. εὐάντυξ.

πολύ-στεπτος a. 269. θεό-στεπτος II 167.

πολύ-ωψ II 412. A. P. VI 65, 9. IX 765, 3. N. πολυωπός Σ 23.

πυρι-σπείρητος II 476. a.) πυρ(ί)- -αυγής P. II 452. N. *1, 182. *36, 151. P. -κμητος II 408. -σπόρος II 463. -φλεκτος II 39. N. -γλώχιν 1, 295. -φεγγής 38, 85.

πυρσό-κομος II 465. β.) -κόρυμβος a. 166. a.) πυρσο- -φόρος P. II 331. 456. N. *7, 340. *30, 100. -γενής N. 2, 495. b.) -κομος. ἁβρό- P. II 459. N. *48, 356. δενδρό- P. II 106. N. *13, 513. 2, 401. καλλί- P. II 326. N. *9, 99. ὑψί- P. A. P. VI 168, 2. N. ἀνθό- 5, 27. χρυσό- P. II 128. 237. β.) -κόρυμβος cf. s. v. ὀξυκόρυμβος.

τανύ-μετρος a. 49. a.) τανύ- N. -πλευρος Ε 4 (cf. Assm. p. 25). -πτερος 3, 373. -πτέρυξ 17, 341. -πτορθος 5, 320. b.) -μετρος cf. s. v. μυριόμετρος.

φιλ-έννυχος II 411. a.) φιλο- N. -σκόπελος 11, 65 (cf. Assm. p. 27). -στέφανος 48, 973. -τεκνος Δ 213 etc. b.) ἔννυχος simplex ap. N. Γ 5. ἐννύχιος P. II 184. 393. 410. 494. 502. A. P. V 293, 8. N. *2, 181. Υ 60. παννύχιος P. I 202. N. 7, 300.

χαμαι-παγής II 126. a.) χαμαι- N. -γενής *5, 435. 8, 71. b.) -παγής. Cf. s. v. κραταιπαγής.

χρυσεο-κόλλητος II 252. a. 159. χρυσο-έλικτος a. 255. -πορος II 389. a.) χρυσεό- -τευκτος P. I 253. χρυσ(ο)- αυγής P. a. 160. 263. N. *4, 106. *43, 442. -μανής P. A. P. X 76, 4. N. Ζ 229. Ν 82. -φαής P. II 353. N. *2, 598. 42, 495 etc. etc. b.) -κόλλητος. simplex ap. N. 25, 284. -έλικτος et -πορος. Cf. s. v. ἀκρο-έλικτος et -πορος.

χλοερ-ῶπις I 255. a. 226. b.) -ῶπις. γλαυκ- P. I 161. κυαν- P. II 228. N. ἀντ- 6, 76. Ζ 86. πυρ- 5, 221. Δ 16. ῥοδ- 11, 487. etc.

ὠλεσί-θυμος II 150. a.) ὠλεσί- N. -τεκνος *46, 352. 44, 91.

Sed iam redeamus a semita illa, quam Paulum solum ingredientem vidimus, etiamsi semper magistrum in oculis habebat, ad viam communem, in qua ipso Nonno antecedente tota Nonnianorum pompa quasi spatiatur. Nunc enim Paulum non solum singula verba sed etiam maiores versus partes a Panopolitano mutuatum esse easque aut integras aut aliquantulum mutatas modo in eisdem modo in aliis hexametri sedibus posuisse demonstraturus sum.

Totum Nonni versum, quamvis paullulum commutatum, Paulus semel, nisi fallor, carminibus suis intulit; nam Nonni versus 42, 6:

ὡς δ' ὁπότ' ἀνεφέλοιο δι' αἰθέρος ὀξὺς ὁδίτης

ad verbum fere transcriptus est a Paulo in v. II 479:

ὡς δ' ὅταν ἀνεφέλοιο δι' ἠέρος ἄνδρες ὁδῖται.

Hemistichia autem Nonni, quae in Pauli descriptione repperi, haec sunt:

P. I 135. κεκασμένον ἔμφρονι βουλῇ.
N. 5, 333. κεκασμένον ἔμφρονι θυμῷ.
cf. 4, 455. ὃ δὲ Παλλάδος ἔμφρονι βουλῇ.

P. II 10. ὑπ' εὐφαέεσσι θυρέτροις.
N. Υ 50. δι' εὐφαέος δὲ θυρέτρου.
P. 111. ἃ μὴ φύσις εὗρε καλύψαι.
N. I 30. τὸ μὴ φύσις εὗρεν ὀπάσσαι.
P. 177. πολυσχιδέεσσι κελεύθοις.
N. 5, 52. πολυσχιδέων δὲ κελεύθων.

P. 269. ὑπ' ἀργυρέοισι μετάλλοις.
N. 25, 392. ἀπ' ἀργυρέου δὲ μετάλλου.
P. 291. ἀπ' ἰχθυβόλοιο δὲ τέχνης.
N. Σ 71. ὃς ἰχθυβόλου παρὰ τέχνης.
P. 405. ἀφ' ὑψιπόροιο κελεύθου.
N. 2, 126. 23, 118 etc. δι' ὑψιπόρου δὲ κελεύθου.
P. 489. μελαγκρήδεμνον ὁμίχλην.
N. Z 67. μελαγκρήδεμνος ὁμίχλη.
P. 592. εὐσεβίης δ' ὀχετηγόν.
N. Δ 99. εὐσεβίης ὀχετηγός.

P. a. 107. ἐς Νότον ἐς Βορέην τε
N. 14, 7. εἰς Νότον εἰς Βορέην.
P. 151. τὸ δ' ἔπηξαν ἑώιον · ἑσπέριον μέν.
N. 38, 389. ἣ προκέλευθος ἑώιος, ἑσπέριος δέ.
P. 161. προβλῆτας ὀιστεύοντος ἐρίπνας.
N. 39, 219 [K. p. 207]. ἀγχιάλοισιν ὀιστεύοντες ἐρίπναις.
P. 170. ἀπ' εὐρυπόροιο δὲ κύκλου.
N. 24, 82. ἀπ' εὐρυπόροιο δὲ κόλπου.
P. 175. καὶ ἐς πτερὸν αἴθοπος Εὔρου.
N. 21, 323. παρὰ πτερὸν αἴθοπος Εὔρου.
P. 234. ἀμοιβαδὸν ἄλλον ἐν ἄλλῳ.
N. Δ 84. ἀμοιβαδὸν ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ.

Multo autem frequentius quam tota hemistichia minores versus partes, imprimis hexametri clausulae, ex Nonni carminibus a Paulo repetuntur. Has equidem inveni ad verbum transcriptas:

P. I 31 σύνθροον ἀείδουσα μέλος νεοθηλέϊ Ῥώμῃ.
N. 3, 237 σύνθροον ἐκρούσαντο μέλος μυκήτορος αὐλοῦ.
P. 13, 107. II 569. a. 4. N. 13, 41 etc. ἔθνεα γαίης.
P. 119. μὴ θυμὸν ἀμύξῃς. N. 38, 165 — ἀμύξῃ.
P. 153. N. 37, 71. ὄμμα τανύσσας.
P. 158. εὐδένδρου σκέπας ὕλης.
N. 22, 138. ἐγερσιμόθου σκέπας ὕλης.
P. 163. a. 194. ἴχνος ἐρείσει.
N. 10, 151. ἴχνος ἐρείσας.
P. 201. μύστιδι φωνῇ. N. 22, 6.

P. 245. ἄντυγι κύκλου. N. 38, 256 [K. p. 191]. ἄντυγα κ.
P. 269. ἄχρι καρήνου. N. 3, 94.

P. II 17. N. *E* 106. θέσκελος ὀμφή.
P. 19. ἀμήτορα παῖδα θεοῖο. N. 20, 54. ἀ. π. καρήνου.
P. 56. N. 6, 185. ὑψόθι νώτου.
P. 101. N. 7, 186. ἴδμονι τέχνῃ.
P. 114. 392. 415. N. 17, 13. 26, 212. ἦ τάχα φαίης.
P. 189. a. 88. N. 25, 562. 40, 302. δαίδαλα τέχνης.
P. 198. N. 18, 28. τεχνήμονι κόσμῳ.
P. 275. N. 19, 78. τεχνήμονι ῥυθμῷ.
P. 311. N. 36, 209. περίτροχον ἄντυγα.
P. 311. N. 6, 334. ἄντυγα πέζης.
P. 322. N. 10, 281. 15, 390. ἵλαος εἴη.
P. 325. N. 36, 364. εὐώδεϊ καρπῷ.
P. 340. N. 1, 517. μεμυκότι χείλεϊ.
P. 344. N. 6, 20. νῶτα τραπέζης.
P. 358. N. 8, 253. ὑπὲρ ὤμου.
P. 401. ὑψικέλευθον ἀνεκρούσαντο πορείην.
N. 43, 281 [K. p. 271]. ὑψικέλευθον ἁλίδρομον εἶχε πορείην.
P. 407. N. 17, 106. ἀνὴρ πολύιδρις.
P. 418. N. 28, 189. ἑσπερίη φλόξ.
P. 450. N. 34, 170. βασιληΐδα κούρην.
P. 456. N. 41, 42. οἶμος ὁδίταις.
P. 550. ἔνθεος ὀμφή. N. 12, 141 ἔνθεον ὀμφήν.
P. 593. ὄμμα τιταίνεις. N. 22, 62 ὀ. τιταίνει.

P. a. 89. N. 15, 5. κεκυφότα νῶτα.
P. 118. πορφύρουσι — αἵματι κόχλου. N. 40, 308 πόρφυρε — αἵμ. κ.
P. 183. ὄργια μύθου. N. *Π* 111. ὄ. μύθων.
P. 190. καταιβάτις οἶμος ὁδίτην.
N. *B* 64. καταιβάτιν οἶμον ὁδεύων.
P. 260. N. 25, 564. ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ.

Submutatos Nonni locos apud Paulum animadverti in his versibus:

P. I 92. ῥυηφενέος τροφὸν ὄλβου.
N. 40, 272 [K. p. 219]. ῥ. χύσιν ὄ.

P. 140. *δαίμονος ἀντιβίοιο.* N. *P* 35. *δ. ἀντιπάλοιο.*
P. 168. *χραισμήτορι βουλῇ.* N. *H* 90. *χρ. μύθῳ.*
P. 255. *ἄνθεα πέτρης.* N. 7, 346. *ἄ. τοῖχοι.*

P. II 123. *χλοάοντι μαράγδῳ..*
N. 5, 178. *χλοάουσα μαράγδου.*
P. 197. *ἔκτοθι νηοῦ.* N. *Δ* 228. *ἔνδοθι ν.*
P. 238. *πλέξασα κορύμβοις.* N. 11, 515. *πλεκτοῖσι κ.*
P. 240. *ἑλικώδεϊ πλέγματι χαίτης.*
N. 16, 15. *ἑλικώδεα βόστρυχα χ.*
P. 254. *ἐπεσκίρτησε προσώποις.*
N. 2, 657. *ἐπισκαίροντα προσώπῳ.*
P. 263. *Σουνιὰς ἄκρη.* N. 3, 207. *Πυθιὰς ἄκρη.*
P. 338. 389. a. 51. *ποικίλλεται αἴγλη.*
N. 25, 395. *π. αἰθήρ.*

Paulus Nonni verba aliis locis sibi adscivit:

P. I 125. *κατ' αὐχένος ὅρμον ἑλόντα.*
N. 2, 595. *ποικίλον αὐχένος ὅρμον.*

P. II 21. *τὸν ἄσπορον υἱέα θεσμοῖς.*
13, 103. *καὶ χθονὸς ἄσπορον υἷα.*
P. 42. *οἷάπερ εὐκύκλοιο πολύχροος Ἴριδος ἄντυξ.*
N. 2, 203. *Ἴριδος ἀγκύλα κύκλα πολύχροος ὁλκὸς ὑφαίνων.*
P. 481. *ὃς μὲν ἀποσκοπέει γλυκὺν Ἕσπερον.*
N. 7, 283. *πότε γλυκὺς Ἕσπερος ἔλθῃ.*
P. 590. *ἐπ' ἀφλοίσβοιο γαλήνης.*
N. 10, 125. *ἀφλοίσβοιο κυβερνήτειρα γαλήνης.*

Et mutavit Nonni verba et aliis in sedibus hexametri ea posuit Paulus in his versibus:

P. II 74. *σφαιρηδὸν ἑλίσσεται.*
N. 38, 248. *σφ. ἑλίσσων.*
P. 280. *αὐχενίων — τενόντων.*
N. 44, 107. *αὐχένιον δὲ τένοντα.*
P. 416. *δρακοντείων τε γενείων.*
N. 25, 4. *δρακοντείοιο — γενείου.*
P. 523. *αὐχένας ἐπρήνιξε.*
N. 28, 64. *αὐχένα — κατεπρήνιξε.*

Iam, ut finem imponam his quaestionibus, aliorum poetarum epicorum vestigia, quae in Pauli descriptione indagasse mihi videor, proferre liceat.

Carmina Homeri, quem quasi patrem omnium temporum poetae venerabantur, Paulum quoque bene novisse ut concludamus, vel eo inducimur, quod *θεῖον Ὅμηρον* ipsis Byzantinorum temporibus maxime celebratum esse constat. Percurratis miros illos versus, — ut solo hoc exemplo utar — quibus Christodorus Homeri statuam (vv. 311—350) descripsit, quo neminem pluribus versibus exornavit. Ex eis satis intellegitur, quantis honoribus et vere divinis etiam Byzantini Homerum oneraverint. Sed scimus ex descriptionis carmine Paulum et ipsum poesis patrem non solum veneratum esse, id quod elucet ex v. 201 sq.

καὶ τίς ἐριγδούποισι χανὼν στομάτεσσιν Ὁμήρου
μαρμαρέους λειμῶνας ἀολλισθέντας ἀείσει;

sed etiam nonnullos eius versus manifesto imitatum esse. Quamquam aliquot de locis ambigi potest, quia etiam apud Nonnum aliosque poetas occurrunt, itaque Paulum eos ex ipso Homero hausisse contendi nequit. Pauli v. I 102 clausula: *ἐπιπνείουσιν ἀῆται* profecta est ex Homeri Od. ι 139: *εἰς ὅ κε — ἐπιπνείωσιν ἀῆται*, sed eadem verba etiam apud Nonnum (47, 362: *ἐπιπνείουσιν ἀ.*) et alios leguntur. Cf. Call. hymn. IV 318. — Item Pauli v. II 104 verba: *ἀνὰ δάσκιον ὕλην* praeter Homerum (Od. ε 470 etc.) Nonnus (20, 279), Colluthus (352 Abel), Oppianus (Cyn. II 530) exhibent. Frequens igitur hoc dictum erat in carminibus epicis, non minus quam verba *αὐχενίων — τενόντων* (P. II 280), quae repperimus in Hom. Od. γ 450 (*τενόντας αὐχενίους*) et apud Nonn. 44, 107 (*αὐχένιον δὲ τένοντα*) et apud Oppianum al. — Pauli v. II 438: *καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην* Homeri esse supra diximus (cf. Od. ε 272). Sed etiam Musaeus illo hemistichio usus est, nam recta videtur vetus emendatio Canteri v. 213: *οὐκ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*. — P. a. 131 verba *ἐυξέστῳ ἐπὶ βωμῷ* varie mutata apud omnes epicos poetas inde ab Homero (cf. Ω 271 *ἐυξέστῳ ἐπὶ ῥυμῷ* etc.) saepissime leguntur. Cf. N. 13, 118 *ἀνδροφόνῳ παρὰ βωμῷ*. — Praeclarae illius imaginis, quam a. 222

κύματα κινυμένων περιάγνυται ἄσπετα δήμων

Paulus ante oculos ponit, primus fons Hom. *B* 144 videtur esse:

κινήθη δ' ἀγορὴ φὴ κύματα μακρὰ θαλάσσης.

Etiam Nonnus eam carmini suo inseruit (*Δ* 147):

στεινομένων νεφεληδὸν ἐπήτριμα κύματα λαῶν

et Triphiodorus (v. 109):

λαῶν ὀρνυμένων ὁμαδὸν καὶ κῦμα φυγόντες.

Pauli v. I 29:

ῥωγαλέος δούπησε, πεσὼν δ' ἐβάθυνε κονίην

omnibus in memoriam revocat Homeri dictum notissimum (*Δ* 504):

δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.

Praeterea comparentur inter se: P. I 188: πύλη μυκήσατο νηοῦ et Hom. *E* 799 etc. αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ. Deinde versus initia P. I 275: πένταχα μοιρηθέντα et Hom. *M* 87: πένταχα κοσμηθέντες. — Praeterea Paulus verba ἕρμα πολήων (I 86) ad exemplum Homeri confecisse videtur (cf. *Π* 549: ἕρμα πόληος). — Hemistichium autem Homericum, quod in Nonni carminibus non legi, Paulus intexuit versui I 56: γαῖα δ' ὑπεστενάχιζεν. Cf. Hom. *B* 781.

His Homeri flosculis, quibus Paulus prata sua ornavit, adicere liceat cetera aliorum scriptorum vestigia, quae inveni. Quos locos, etiamsi Paulum consilio semper exempla illa imitatum esse ipse contendere non ausim, tamen silentio praeterire nolui.

In versu a. 89, quo Paulus inferiorem ambonis partem sic describit:

οἷα κραταιρίνοιο κεκυφότα νῶτα χελώνης,

χελώνη illa κραταίρινος spectare videtur ad oraculum illud a Pythia Croeso datum, ut Herodotus narrat (I 47):

ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης.

Hoc epitheton aliis locis haud repperi.

Alexandrinorum carmina Byzantinorum temporibus magno cum studio lectitata esse cum ex epigrammatis satis perspicitur, tum valde comprobatur carmine Musaei. Neque pauca Alexandrinis debuit Nonnus ipse[1]). In Pauli descriptione unum locum inveni, quo Callimachum ei ante

---

[1]) Cf. Naekii dissertationem de Callimachi Hecale scriptam (opp. II p. 108. 121 sq. 133 etc.)

oculos obversatum esse paene existimo. Dicit enim Paulus de Anthemio artifice (I 136):

κεῖνος ἀνὴρ τὰ πρῶτα θεμείλια πήξατο νηοῦ.

De licentia metrica supra dixi (p. 69); in permultis carminibus epicis usurpata est. Sed Callimachus ea cum eodem substantivo coniuncta utitur (hym. II 58):

τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ὕφαινει.

Quid? Num forte oblatum esse hunc consensum putemus?

Ut etiam Orphica, quae dicuntur, Paulum noscitasse opiner, tribus illorum carminum locis permoveor, quorum primus stat in hymno, qui in Musas scriptus est (43, 2 Herm.):

Εὐνομίη τε Δίκη τε καὶ Εἰρήνη πολύολβε.

Cf. P. I 5: *Εἰρήνη πολύολβε, τιθηνήτειρα πολήων,* quam verborum colligationem neque apud Nonnum neque apud alios legi. — Orph. Argon. 515 (H.) verbis *μήνη δ' ἀστροχίτων* similitudo quaedam est haud exigua cum P. II 183 *μηνὶ χρυσοχίτωνι.* — Denique hae duae versus clausulae in comparationem vocentur: Orph. Arg. 187: *ἁλιστεφέος Σαλαμῖνος* et P. II 190: *ἁλιστεφέος Προκονήσου.*

In Triphiodori[1]) carmine (*Ἰλίου ἅλωσις*) duo loci leguntur, quos etiam in Pauli descriptione reperimus. Tr. 41: nondum capta erat Troia, *ἀκλινέεσσιν ἐπεμβεβαυῖα θεμέθλοις.* P. I 52 de tholo iam perfecto dicit:

ἤδη μὲν σθεναροῖσιν ἐπεμβεβαυῖα θεμείλοις[2]).

Praeterea Tr. v. 648:

Παλλάδος ἀχράντοιο θεῆς ὑπὸ γοῦνα πεσοῦσαν.

comparetur cum P. II 277:

ὧν μέσον ἀχράντοιο θεοῦ δείκηλα χαράξας.

In Colluthi „raptu Helenae" (*ἁρπαγὴ τῆς Ἑλένης*), quod carmen Anastasio imperatore saeculi VI. initio conditum est, v. 172 (Abel):

εἴξατέ μοι πολέμοιο συνήθεος, εἴξατε νίκης

eadem figura rhetorica usurpatur, quam Paulus adhibet (I 18):

εἴξατέ μοι Ῥώμης Καπετωλίδες, εἴξατε φῆμαι.

---

[1]) Triphiodorum saec. (p. Chr. n.) V. vixisse verisimile est.

[2]) Commemoranda est Wernickii adnotatio ad Triph. versum 41 scripta (p. 94): „Homerica tantum verba *θέμεθλον* et *θεμείλιον* usurpat Nonnus, non vero *θέμειλον*, quod recentiorum poetarum in primis eorum est, qui Byzantii vitam degentes carmina composuerunt."

Composita autem est haec figura ex Nonnicis elementis; Nonnus enim 9, 235 *εἴξατέ μοι* in initio, 39, 66 *εἴξατε θύρσοι* in fine versus posuit.

Apud Christodorum, qui et ipse sub Anastasio ecphrasin suam scripsit, solum versum 378 Pauli versui II 598 persimilem esse vidi.

Chr. 378: *Ἡρόδοτος πολύιδρις, ὃς ὠγυγίων κλέα φώτων κτλ.*
P. II 598: *πάντα μὲν ὠγυγίων τε καὶ ὁπλοτέρων κλέα μόχθων.*

Carmina poetarum illorum, qui post Nonnum floruerunt nec procul absunt a Pauli temporibus, Paulo nota fuisse per se probabile est, exemplis autem a me adlatis hoc demonstratum esse propter eorum paucitatem ipse non puto.

Sed cum his ex observationibus fructus non ita magnos perceperimus, magis fortasse adlicimur alia quaestione proponenda de necessitudine, quae inter Musaeum et Paulum est. Poetam illum carminis, quod „*τὰ καθ' Ἥρω καὶ Λέανδρον*" inscribitur, ante Iustiniani tempora viguisse viri docti putare solent; itaque Agathiam et Paulum hoc poema cognovisse verisimile est. Et attulit Niebuhrius Agathiae locum, quo scriptor Byzantinus ad Musaeum spectaret. Legitur enim apud illum hist. V 22: *οἱ δὲ Οὖννοι — ἀθρόον κατεδύοντο ἐν τῷ βάθει καὶ ἔθνησκον ἀχρήστου ποτοῦ ἐμπιπλάμενοι.* Cf. Mus. 328:

καὶ ποτὸν ἀχρήιστον ἀμαιμακέτου πίεν ἅλμης.

Cui loco Bernhardyus [1]) alia Agathiae verba adiunxit, quae quasi furtim respicere ad carmen illud *ἐρωτικώτατον* putavit. Agathias hist. V 12 narrat: *Σηστὸς γέ ἐστι πόλις ἡ περιλάλητος τῇ ποιήσει καὶ ὀνομαστάτη οὐκ ἄλλου τοῦ ἕνεκα οἶμαι ἢ μόνον ἐπὶ τῷ λύχνῳ τῆς Ἡροῦς ἐκείνης τῆς Σηστίδος καὶ τῷ Λεάνδρου ἔρωτι καὶ θανάτῳ.* Ad hanc sententiam etiam Erwinus Rohde [2]) accessit, qui ad Musaei carmen fabulae Sestiacae famam revocandam esse censuit, quam testarentur nonnulli saec. p. Chr. n. VI. poetae epigrammatici. Cf. Agathiam, qui A. P. V 263, 3 sq. puellam ita lucernam adloquentem facit:

ἀεὶ σὺ φθονέεις τῇ Κυπρίδι καὶ γὰρ ὅθ' Ἡρὼ
ἥρμοσε Λειάνδρῳ . . θυμὲ τὸ λοιπὸν ἔα.

[1]) *Griech. Litt.gesch.* [2] II 1, p. 405.
[2]) *Griech. Roman* p. 136 sq. adn.

et Paulum A. P. V 293, 7 sq.:

Νηχόμενος Λείανδρος ὅσον κράτος ἐστὶν ἐρώτων
δείκνυεν ἐννυχίου κύματος οὐκ ἀλέγων.

Denique A. P. IX 381 versibus ex Homero repetitis Herus et Leandri amor describitur.

Neque ego doctis viris Musaei tempora sic constituentibus non adsentior, praesertim cum locos quosdam invenerim, quibus Paulum Musaeum sibi ad imitandum proposuisse puto. Musaeus de Hero dicit (v. 33):

Ἄλλη Κύπρις ἄνασσα σαοφροσύνῃ τε καὶ αἰδοῖ,

Paulus autem de patriarcha venerando (II 579 sq.):

καὶ γὰρ ἀπ' ὠδίνων σε σαοφροσύνη τε καὶ αἰδώς
ἐλπίδος οὐρανίης ἱεραῖς ξύνωσε πορείαις.

Qua ex verborum coniunctione nullo alio loco a me reperta, quoniam ea omnino non cadere videtur in virum illum „sanctissimum", optime vero in virginem Sestiacam, equidem Paulum haec verba Musaeo debere concludo. — Commemoratione dignissimi hi quoque sunt versus:

Mus. 214 *οὐ θρασὺν Ὠρίωνα καὶ ἄβροχον ὁλκὸν ἁμάξης.*
P. II 483 sq. *ἄλλος ἐπ' Ὠρίωνα καὶ ἄβροχον ὁλκὸν ἁμάξης*
ὄμμα φέρει.

Quorum priorem partem Musaeus ex Nonni Dionysiacis excerpsit (cf. 20, 83. 44, 305: *οὐ θρασὺν Ὠρίωνα*) alteram ex v. 23, 295 *καὶ ἄβροχον ὁλκὸν ἁμάξης.* Coniunctio autem horum verborum ex Musaei epyllio ut videtur [1]) in Pauli descriptionem derivata est. — Praeterea comparentur inter se:

Mus. 315: *ἀνέγρετο παντόθεν ἠχώ*
et P. a. 20: *ἀκήρατος ἔγρεται ἠχώ.*

Denique etiam grammatica observatione fortasse corroboratur sententia de Musaei temporibus prolata; nam si recte animadvertit Wernickius de usu verborum *θέμεθλον* et *θέμειλον* (cf. supra pag. 101 adn. 2), Musaeus quoque, quia apud eum in versu 71 *καλλιθέμεθλον* legitur, aetati

[1]) Sententiam autem v. 213 sq. Musaei comparandam esse cum Ovid. Her. XVII 149 sqq., qui versus ex eodem fonte Alexandrino emanassent, docuit me O. Ribbeckius, praeceptor excellentissimus.

Paulo antecedenti adsignandus est; Paulus enim eiusdem vocabuli formam *καλλιθέμειλον* usurpavit (a. 76)[1].

Restat ut pauca verba de Ioanne Gazaeo faciamus. Hunc poetam, quo nullus alius Nonnianus oratione magis inflata excellit, duos descriptionis libros de tabula mundi post Pauli ecphrasin scripsisse Abelius in editionis praefatione contendit; nec discrepat mea sententia cum illa, quamquam certis argumentis eam confirmare nequeo. Omnino autem refutanda sunt argumenta Abelii, qui dicit (praef. p. 7): „neque verisimile mihi videtur eum (sc. Ioannem) ante Paulum Silentiarium medii sexti p. Chr. n. saeculi poetam floruisse. Paulus enim solus omnium Nonni imitatorum hoc cum Ioanne Gazaeo commune habet, quod ambo in ecphraseon genere sese exercentes prooemia iambico metro scripta utrique carminis parti praemiserunt; qua ex re cum unum alterum imitatum esse concludere debeamus, haud verisimile esse mihi videtur praeclarum aulae regiae Silentiarium ad exemplum obscuri cuiusdam grammatici carmen panxisse.“

Ut praetermittam huius argumenti levitatem, omnino non probo priorem illam conclusionem. Nam quod propter solas iambicas praefationes utrique carmini praepositas de imitatione cogitat vir doctus, prorsus eum fugit has ipsas illis quidem temporibus in more fuisse Byzantinorum. Nam Agathias quoque septem libris epigrammatum poema praemisit, cuius prior pars ex trimetris iambicis constat. (Cf. A. P. IV 3, 1—46.) Etiam Christodorum in descriptione, quae an non integra nobis tradita sit, optimo iure dubitatur, prooemio iambico audientes salutasse Baumgartenus suspicatur (p. 8). Praeterea Abelius, quoniam ante annum 540 Ioannis carmen conditum esse existimat[2], priori ipsius sententiae repugnat; nam Paulum ecphrasin non scripsisse ante annum 563 ex eis, quae supra exposuimus, satis apparet. Toto genere describendi, quod a Christodori et Pauli arte valde abhorret, atque tumore verborum prorsus non ferendo

[1]) Cf. etiam praestantissimi Scaligeri verba l. l. „Huius Musaei aut aequalis aut non multo posterior Silentiarius“ etc.

[2]) Cf. Abelium p. 11: „Fortasse ante annum 540 p. Chr. n., quo Antiochia a Chosroë funditus eversa est et etiam thermae destructae esse videntur, Ioannis Gaz. carmen conscriptum esse ut statuamus, inducemur.“

commotus opus illud Ioanneum etiam posterioribus temporibus natum esse quam illorum carmina equidem suspicor.

Similes poematum locos addere liceat. Cf. Ioann. I 48: ἄνδιχα τεμνομένων. P. I 239: ἄνδιχα τεμνομένοιο.

Ioann. II 49: αὐτὰρ ὄφις πτερόεντος ἐπ' αὐχένος ὅρμον ἐλίσσει. P. II 451: χαρίεντα κατ' αὐχένος ὅρμον ἐλίσσει [1]). Cf. etiam P. I 125: κατ' αὐχένος ὅρμον ἐλόντα. Nonn. 2, 595: ποικίλον αὐχένος ὅρμον.

Ioann. I 191: ἀλλὰ παλαιγενέων ἐγκύμονα βίβλον ἀφάσσων.

P. II 374 sq.: ὃς μὲν ἐλαφρίζει καθαρῆς ἐγκύμονα ῥήτρης βίβλον κτλ.

Ioann. II 39: καὶ εἰς στόμα χεῖλος ἐρείσας.

P. a. 221: χείλεα καὶ παλάμας ἱερὴν περὶ βίβλον ἐρεῖσαι.

Ioann. I 25: πέμπε μέλους προχοὴν — νῦν μᾶλλον κόσμος γὰρ ἀείδεται.

P. a. 18: μέλος πλέξασθε χορείαις· ὑμέτερος γὰρ χῶρος ἀείδεται.

Sed reliqui sunt loci nonnulli epigrammatis ab aequalibus Pauli scriptis et Paulo ipsi communes, quos praeterire non licet. Cf. Iulian. Aegypt., qui A. P. VII 601, 5 sq. de morte Anastasiae cuiusdam haec dicit [2]):

σὸν δὲ πόσιν γενέτην τε κακαῖς ἀλάωσεν ἀνίαις (sc. τύμβος)
οἷς πλέον ἠελίου λάμπες Ἀναστασίη.

Ad verbum similia leguntur apud Paulum (a. 12 sq.); de martyribus, qui vitam aeternam praetulerunt, dicitur:

οἷς πλέον ἠελίοιο μόρου ζείδωρος ἀνάγκη
ἐλπίσιν ἀφράστοισιν ἐφήδανεν.

Deinde Macedonii ep. IX 649 commemoratione dignum est, quo negat poeta se ad aedificandam domum suam nefariis adiumentis usum esse (v. 5 sq.):

οὐδὲ λιπερνήτης κενεῷ καὶ ἀκερδέι μόχθῳ.
κλαῦσε δικαιοτάτου μισθοῦ ἀτεμβόμενος.

Paulus autem patriarchae benignitatem his celebrat verbis (II 594):

---

[1]) Sic Graefius pro codicis ἑλίξει scribendum esse duxit.

[2]) Hoc autem epigramma non esse Iuliani sed miseri imitatoris Iacobsius contendit Planudeae testimonio adiutus, in qua Eratosthenes Scholasticus auctor nominatur. Quem et ipsum sub Iustiniano floruisse Fabricius, Reiskius, Iacobsius (cf. catalog. A. P.) docuerunt.

οὐδὲ λιπερνήτης τελέθει βροτός, ὅν σὺ νοήσεις.

Sed ut his de locis aliquid certi adfirmare periculum non faciam, ita multo minorem vim aliis locis tribuo, veluti Damochar. ep. VI 63, 7: *πλατέος γλωχῖνα σιδήρου.* Cf. Pauli a. 94:

ὁππόθι δαιδαλοεργὸς ἀνὴρ γλωχῖνι σιδήρου.

Nam persimiles versus clausulae etiam apud alios scriptores occurrunt; cf. Nonn. 1, 193: *γλωχῖνι κεραίης* et 12, 331: *πεδοσκαφέος δὲ σιδήρου θηγαλέῃ γλωχῖνι.*

Sed iam ad finem perduxi, quae dicenda habui de hoc poeta Byzantino. Quibus novas quasdam in eum congerere laudes ipse nec volui nec valui. Verum si aliqua ex parte mihi contigerit, ut imagine paulo magis expressa poetam illum admodum ignotum in lucem vocarem, aliquid assecutus esse mihi videbor.

TABULA ARGUMENTI.